



Page



1.155

47 Innatus, Chw

mebr. v. v. v.







6
QVOD DEUS BENE UERTAT!
DISSERTATIO THEOLOGICA

De

QUÆSTIONE,
Numcitra specialem

DEI revelationem Christianus ex
Verbo DEI possit de æterna suâ sa-
lute certus esse?

Quam

in Incluta ACADEMIA JENENSI

P R Æ S I D E

FRIDEM. BECHMANNO,

SS. Theol. D. & P. P.

*DN. Patrono atque Præceptore suo summa obser-
vantia colendo,*

Publico Eruditorum Examini sistet

M. GERHARDUS Zraudorff/Cala-Thur.

AUTOR RESPONDENS

in Acroaterio Theologorum

ad d. Septemb.

ANNO CHRISTI M. DC. LXXVII.

JENÆ, Literis JOHANNIS WERTHERI.

DISSEKTATIO THEOLOGICA
QUOD DEUS BEVE UERTAT

QUESTIO

NUMCITRA SPECIEM

DEI REVELATIONEM CHRISTIANIS EX
VERBO DEI POSSIT DETERNARI IN
LITE CERTUS ESSE

in Incluta Academia Jenensi

FRIDEM. BEGHMANNO.

SS. Theol. D. & P. P.

Publici Auditorii Librarii

M. GERHARDUS STURMANNUS THUR.

AUTOR RECTORIS
in Academia Theologica

ANNO CHRISTI M. DC. LXXVII

JENAE, LITENS JOHANNIS WERTHERI





I. N. J.



E homine Christiano num certus esse possit de æterna sua salute quæsitum sæpius fuit, quam quæstionem uti variis motibus varii agitarunt, ut non sine ratione unam è vexatissimis nonnulli ex Nostratibus eam censuerint: ita ventilatione dignissimam & utilissimam eandem magni nominis Theologi deque Ecclesia Christi meritissimi judicarunt. Quam ob rem mihi quoque placuit, eam loco exercitii Academici sub examinis publici incudem revocare, inque formam dissertatiunculæ redigere, DEUS conatibus ex alto benedicat!

SECTIO I.

Statum Controversiæ re- ctè formans.

- §. 1. Subjectum quæstionis in primis explicatur. §. 2. Certitudo, qua ad prædic. spectat, non confundenda cum necessitate. §. 3. Certitudo alia actus seu objecti, alia subjecti. §. 4. Certitudo objecti & subjecti unde oriatur, & de quâ certitudine h. l. sermo sit? §. 5. Certitudo theoret. vel practica. §. 6. Certitudo vel evidens vel inevidens, quænam hujus loci sit, ostenditur. §. 7. Revelatio divina formalis vel virtualis. §. 8. Certitudo distinguitur in moralem, physicam & metaphys. h. l. moralis in quæstionem venit. §. 9. Bellarmini certitudo moralis an dubitationem importet? §. 10. De certitudine fidei h. l. queritur. §. 11. Certitudo fidei non excludit omnem infirmitatem,

A

tatem,

tatem, laudatur Chemnitius. §. 12. Certitudo fidei vel absoluta, vel hypothetica, de qua h. l. sermo sit? laudatur Gerhardus. §. 13. De certitudine ante finem vitæ h. l. quaeritur. §. 14. De certitud. absol. & hypoth. laudatur Olearius. §. 15. quid nomine salutis veniat, explicatur.

§. 1.

Quæstionis controversæ statum recte formaturo explicandum imprimis est tum subjectum tum prædicatum quæstionis: Subjectum est homo Christianus, quo nomine non intellectum volo quemcunq; qui in externo Christianorum cœtu versatur, cum aliis audit verbum DEI prædicatum, & sacramentis utitur, sed eum, qui verum ac vivum est Ecclesiæ membrum ac per veram fidem cum Christo capite Ecclesiæ unitus est & media perseverantiæ in fide non negligit, sed omni studio iis utitur, de hoc quaeritur, an certus esse possit, se aliquando fore participem æternæ salutis, adeoque firmum & immotum assensum præbere possit huic propositioni: *Ego æternum salvabor? Ego post hanc vitam æternæ atque beatæ vitæ particeps ero?*

§. 2. Potissimam autem difficultatem quæ statum propositæ quæstionis controversæ recte formare volenti obtingere potest, parit terminus, *certus, certitudo*, unde operæ precium erit, de hujus acceptione curiosius dispicere, qua consideratione absoluta, verbo etiam dicendum erit de salute nostra, de cujus certitudine h. l. quaeritur. Initio autem monendum est, certitudinem non esse confundendam cum necessitate, quod factum esse viderura Bellarm. *lib. 3. de justific. c. 2.* cum inquit: *certitudo nihil aliud esse videtur nisi firmitas quedam & immutabilitas veritatis.* Nam potest aliquid esse certum vel certò verum, ut tamen non sit necessario & immutabiliter

ter

ter verum, sicut v. g. pariete existente albo, certa sive certo vera est hæc propositio : *Paries est albus*, quæ tamen non est necessaria aut immutabilis veritatis: certum seu certo verum est, Bellarminum in multis iisque gravissimis hæsisse erroribus, nec tamen necessario & immutabiliter hoc verum, siquidem potuisset loco illorum errorum veritatem amplecti.

§. 3. Deinde notandum est certitudinem variè distingui : instituti ratio non patitur, ut omnes istæ distinctiones adducantur, aliquas igitur adducam, & quænam certitudo hujus loci sit, quæ vero a præsentis loco sit aliena, breviter ostendam. Primum igitur alia certitudo est actus, vel objecti circa quod intellectus versatur, alia certitudo subjecti, seu hominis cognoscentis vel credentis, e. g. cum certum esse dicitur, *DEUM esse bonum*, *peccatum esse malum*, certitudo actus est sive objecti: cum vero homo firmum assensum præbet his propositionibus & certus de illis esse dicitur, certitudo est subjecti, quæ omnium consensu dubitationi opponitur. Uti ergo voce dubitationis intelligitur ambiguitas & fluctuatio mentis nescientis, an ad hanc vel illam partem se determinare debeat? ita lege oppositionis certitudo ex parte subjecti spectata importabit firmitatem & constantiam, mentis scientis ad quam partem sese debeat determinare. Inde est, quod dicunt certitudinem notare determinationem intellectus ad verum ut verum, s. ut alii loqui amant, determinationem intellectus ad veritatem. Atq; hoc sensu certitudo objecti, & distinctio in certitudinem objecti & subjecti non videtur rejicienda esse, cum certitudo subjecti, quam etiam adhæisionis vocant, præsupponat certitudinem objecti seu propositionis, de qua quis certus esse dicitur, nisi enim certa sit propositio, non tam certus, quam persuasus de ea quis dici potest: alia vero ratio est,

si objectum intelligatur incomplexum, ubi certitudo ob-
jecti minus accurate statui videtur.

§. 4. Certitudo actus sive objecti interdum oritur
ex natura ipsius rei, ut cum certum esse dicitur, quod v.g.
DEUS sit bonus, interdum autem ex determinatione jam
facta, ut cum dicitur, aliquem certo salutem esse conse-
cuturum, quod certum est, quia ab æterno à DEO intuitu
fidei decretum & determinatum fuit. Certitudo autem
subjecti sive cognoscentis quandoque oritur à medio, per
quod res cognoscitur, quandoque à voluntatis affe-
ctu, quandoque etiam ab ingenii bonitate atque exer-
citatione, cum quis accuratius vim mediorum percipit,
& inde certus de re aliqua redditur, de qua alius ob inge-
nii tarditatem certus non est. Hoc loco quæstio est de
certitudine subjecti, nempe hominis Christiani, (quam-
vis hæc certitudinem actus sive objecti præsupponat) non
enim tam quæritur de certitudine propositionis, quàm as-
seritur, aliquem salutem æternam esse consecuturum,
quàm de eò, an quis de illa propositione certus esse, ei-
que firmiter adhærere sive firmum assensum præbere
possit, & quidem per certum aliquod medium?

§. 5. Deinde certitudo alia *theoretica*, alia *practi-
ca* dici solet: Illa vocatur in ordine ad intellectum theo-
reticum, hæc ad intellectum practicum: horum mem-
brorum si alterum huc referendum sit, certitudinis pra-
cticæ consideratio erit hujus loci, de qua, ut obiter hoc
addam, 1. observari solet, quòd certitudo *practica* alia à
πραξι strictè dictâ, alia etiam à *ποιήσῃ* denominationem
accipiat. 2. quod certitudo practica strictè sic dicta alia
sit *de præterito*, alia *de presenti*, alia *de futuro*, & 3. quod
alia iterum sit *de re in universali*, alia *de re in singulari*.

§. 6. Porrò sicut certitudo objecti vel evidens est vel
in-

inevidens, & evidens rursus vel principiorum primorum, quæ cognitæ terminis ex quibus constant, vera & certa esse cognoscuntur: vel conclusionum, quæ ex principiis certis evidenter deductæ sunt; inevidens verò vel eorum, quæ divinitus sunt revelata, vel quæ humana auctoritate, vel etiam tot signis & conjecturis nituntur, ut securum hominem reddant, & anxietatem excludant, non tamen formidinem omnem expellant, quam certitudinem Bellarminus *l. 3. de justif. C. 2.* conjecturalem vocat: ita hæc certò modò etiam certitudini subjecti sive adhæisionis applicari possunt, ut quis certus sit certitudine evidente tum de principiis, quatenus ea cognitæ terminis cognoscit & firmum illis assensum præbet; tum de conclusionibus, quatenus iis propter principia, ex quibus evidenter deducuntur, firmum assensum præbet, adeoque de illis certus est: similiter certus quis esse potest, certitudine inevidente, quando auctoritate divinâ motus assensum firmum præbet illis, quæ divinitus revelata sunt, aut cum assentitur propositioni ob humanam auctoritatem, aut quia signis aut conjecturis movetur, quamvis an assensus humana auctoritate vel signis aut conjecturis nixus accurate loquendo certus sit, dubitari possit. Hoc loco quæritur de certitudine assensus, qui nititur divina auctoritate & revelatione, an scilicet quis fide divina, sive quæ divina revelatione nititur, certus esse queat de salute sua, sive an vere credens propositioni huic, *ego salutem aternam sum consecuturus*, firmum assensum fidei, divina revelatione nixum præbere queat?

§. 7. Observari autem hic velim, revelationem divinam duplicem esse, formalem & virtuales: formalis seu explicita est, qua expresse & totidem verbis aliquid à DEO in scripturis revelatum est, e. g. *hominem fide iustifi-*

A 3

CARI.

eari. Rom. 3. 28. Virtualis sive implicita est, qua aliquid, licet totidem verbis à DEO non sit revelatum, tamen ex eo, quod formaliter est revelatum, per bonam consequentiam inferri potest, sicut ex eò, quod DEUS omnes homines vult salvos fieri *1. Tim. 2. 4.* recte ex bona consequentia colligo, DEUM me etiam salvum fieri velle, adeoque hoc, quod DEUS me quoque salvum fieri velit, virtualiter revelatum est: Cum dictum est in thes. præced. sermonem h. l. esse de certitudine assensus, qui nititur divina revelatione, sermo est de revelatione virtuali: cum enim quivis facile intelligat, de hoc vel illo homine in individuo in Scripturis sacris, quod salvandus sit, totidem verbis nihil esse revelatum, patet, quod assensus, quo quis certus esse dicitur, se salutem consecuturum, non nitatur revelatione formali, sed tantum virtuali.

§. 8. Distingui etiam consuevit certitudo in moralem, physicam & metaphysicam: *moralis* dici solet, quæ nititur probabilibus signis, nec formidinem oppositi penitus excludit, quamvis ab aliis paulo aliter explicetur: *physica* certitudo dicitur, quæ physicis principiis nititur, potest tamen potentiâ DEI absolutâ impediri, ut ignem urere: *metaphysica*, qua aliquid certum est, ut aliter se nullo modo habere possit, ut DEUM esse, quodlibet esse vel non esse: *physica* & *metaphysica* certitudo hujus loci non est: de *moralis*, quæ cum dubitatione est conjuncta, quæritur, annon potius hac certitudine de salute sua certus esse possit homo Christianus, quam certitudine fidei divinæ, quod vult Bellarmin. *l. 3. de justif. c. 11.*

§. 9. Verùm hîc dubium oritur, quod dictum est, Bellarminum statuere certitudinem moralem, & hanc certitudinem cum dubitatione esse conjunctam, diversum

sum enim docere videtur Bellarminus *lib. de justificatione 3. cap. 11.* ubi sic scribit: *Nullum esse Catholicum Scriptorem, qui doceat oportere homines perpetuo dubitare & hesitare de sua cum DEO reconciliatione: videtur ergo statuere certitudinem, quæ dubitationem excludit. Sed ludunt Bellarminus aliique Pontificii cum eò terminis minusque cauto lectori strenue imponunt. Nempe per certitudinem fictitiam illam certitudinem, quam moralem & conjecturalem vocant, intellectam volunt. Moralis autem & conjecturalis illa certitudo ipsis est, qua tot signis & conjecturis nititur, ut hominem reddat securum, & anxietatem excludat, non tamen formidinem omnem expellat, ut habent expressa Bellarmini verba *lib. de justificatione 3. C. 2.* Quid vero sic dicta certitudo moralis & conjecturalis aliud est, quam mera conjectura & opinio, quæ dubitationem non planè excludit, nequaquam vero certitudo? Consulatur B. Johannes Gerhardus LL. Theol. loco de justif. §. 90. pro B. Martino Chemnitio contra Bellarminum eximiè differens.*

§. 10. Explosâ igitur certitudine morali & conjecturali, sermo nobis est, ut ex superioribus patet, de certitudine fidei atque adeo proprie dicta certitudine, utpote quæ infallibili revelatione divina nititur. Neque tamen, quod & supra monitum est, revelationis divinæ nomine specialis aut formalis revelatio hîc significatur: Non enim de eo quæritur: An homo aliquis Christianus, si DEUS hancce propositionem ei revelaret: *Tu salvaberis*, possit certus esse de futura salute suâ æternâ? Hujus quippe assertionis nulla difficultas est, sed quæritur, num certitudo citra specialem DEI revelationem, sive certitudo fidei, quæ nititur revelatione DEI virtuali obtineat? quod ex superioribus liquidum est.

§. 11.

§. 11. Sed neque hoc circa statum controversiæ est prætermittendum, quod sermo hîc nō sit de tali certitudine fidei, quæ omnem imbecillitatem excludat, & ubi nulla infirmitas occurrat, hanc enim non negamus, quæ tamen fide superatur. Eleganter hâc de re B. Chemnitius *Loc. de justif. p. 279.* ferè sub fin. differit. *Non loquimur, inquit, de tali certitudine fidei tanquam de idea, quæ in hac cernis infirmitate nulla plane tentetur dubitatione, quæ nulla langueat imbecillitate, nihil sentiat trepidationum, ubi nulla sit difficultas credendi. Quamdiu enim in hac carne vivimus, caro semper repugnat spiritui, qui etiam est spiritus fidei, & in illa pugna sæpe caro quasi prevalere videtur, sicut Paulus inquit Rom, VII. 23. Captivum me ducit. Et 2. Cor. I. 8. Gravati sumus & ðύναμιν. Sed hæc non sunt de natura fidei, multo minus est virtus fidei, sed pertinet ad illam sententiam Rom. VII. 18. In carne mea nihil habitat boni. Item v. 21. volenti mihi facere bonum, semper adjacet malum. Et fides coram DEO has sordes non jactat quasi virtutes, sed agnoscit ipsam fidem, quatenus opus seu virtus est, non esse perfectam, & illas sordes ex carne fidei aspersas petit tegi & ignosci: & tamen propter objectum, quod apprehendit infirma illa fides, habet certam & firmam consolationem. Haftenus B. Martinus Chemnitius l. c. Vid. & B. Gerh. Conf. Cath. l. 2. p. 3. art. 23. c. 5. n. 8.*

§. 12. Tandem observari velim, certitudinem, etiam fidei, esse duplicem, vel absolutam, vel hypotheticam: etsi absolutâ certitudo locum habet, ubi sermo est de gratia præsentem; tamen h. l. ubi quæritur de gratia futura, de prædestinatione æternaque salute, quæstio est de certitudine hypotheticâ ante finem vitæ, & quæstio est: An Christianus certitudine fidei, quatenus nititur
pro-

promissionibus DEI universalibus, & seriò DEUM pro sui
in bono conservatione, cum spe exauditionis invocat,
mediisque quibus fides conservatur & augetur, rectè uti-
tur atque propositum peccandi procul à se abesse jubet,
ante finem vitæ de salute consequendâ certus esse possit?
Ubi affirmativam Nostrates defendunt. Audiamus hâc
de re Theologorum nostri seculi facile principem, bea-
tissimum Joh. Gerhardum *in comm. ad 2. Petri epist. p. m.*
327. Quamvis de plenissima securitate salutis possessione,
non detur certitudo absoluta, tamen datur de ea certitudo
conditionata. Inter certitudinem enim absolutam, hoc est,
ex absoluto electionis decreto dependentem, quam propu-
gnant Calviniani, & inter certitudinem conjecturalem, id
est, incertam persuasionem, quam propugnant Pontificii, da-
tur medium, videlicet certitudo conditionata, qua respectum
habet ad media, per quæ DEUS in fide conservat & ad salu-
tem perducit. Et Tom. II. LL. Theol. loc. de Electione §.
210. Non est fingenda talis absoluta certitudo salutis, ut di-
catur, renatos etiamsi atrocibus peccatis contra conscientiam
se involvant, tamen non amittere fidem, Spiritum Sanctum
& Salutem; certos nos fecit DEUS de salute nostra, non au-
tem carnaliter securos. Promissiones DEI infallibiles libe-
rant nos à dubitatione; comminationes & exhortationes
DEI liberant nos à carnali securitate, ac proinde inter scyl-
lam perpetuæ dubitationis & inter charybdim absoluta se-
curitatis medium tenet navicula fidei nostra verbi cynosuram
secuta. Confidimus DEO propter egregias & infallibiles
promissiones nobis datas; interim tamen etiam timemus
DEUM propter carnis nostræ infirmitates & tentationes;
ideoque seriis gemitibus perseverantiæ donum à DEO peti-
mus, nosque illud certo impetraturos confidimus, interim
tamen securitate carnali abjecta fidem verbi meditatione

B

&



Et sacramentorum usu confirmari rogamus, atque in cursu pietatis quotidie proficere studemus. Hactenus B. Gerhardus.

§. 13. Studio in præced. thes. dictum est, quaestionem h. l. esse de certitudine salutis hypotheticâ. Nam si conditio prædicta ante finem vitæ in fine vitæ in actu fuerit posita, dicendum omnino quod homo absolute certus esse possit de sua salute. Sicut enim in fine vitæ cum homo deprehendit fidem, quæ fertur in meritum Christi tanquam causam meritariam salutis, certus esse potest de fide finali, ita absolutam quoque certitudinem habere potest de salute propter illam, ipsam finalem fidem jamjam conferendam, verba sunt DN. PRÆSIDIS in Praelectionibus publicis antithæ super Formulam Concordiæ habitis, artic. de aeterna predestinatione, §. 23.

§. 14. Eò quoque faciunt quæ Celeberr. DN. D. Johannes Olearius in continuatione Carpzov. Isag. in Libb. Symbolicos differit: Certitudo perseverantiæ finalis ante respectu credentis hypothetica, si non restiteris Spiritui sancto Act. VII. in ultimo mortis articulo fit absoluta, sine ulla limitatione vera, atque simpliciter infallibilis. Conditio enim non resistentiæ implenda, quando præsens impleta adest, etiam actu ipso rem promissam ponit: Ego in hoc ipso momento ultimo non resisto Spiritui Sancto, sed DEO promittenti, per gratiam gratis datam, virtute Spiritus S. assistentis, Et in corde meo gemitus inenarrabiles excitantis, firmiter credo. Ergo infallibiliter salvus sum, quia remissionem peccatorum propter Christum habeo certissimam. Quando enim conditio actu impletur, tunc hypothetica enunciatio transit in absolutam.

§. 15. Quid nomine salutis æternæ, de cujus certitudine h. l. quaeritur, intelligatur, non ignotum est, &

COM-

complectitur ea primario beatificam sive intuitivam
DEI visionem, quâ cognoscentur omnia, quæ in summo
& infinito bono nempe DEO, formaliter continentur,
quam comitabuntur ardentissimus DEI amor & ineffa-
bile gaudium ex consecutione summi & infiniti boni.

SECTIO II.

Pontificiorum sententiam & argumenta pro ejus confirma- tione continens.

§. 16. Disceptatio inter Papicolas in Concil. Trid. de certitudi-
ne gratiæ divinæ, test. Petr. Suav. & Sfort. Pallavic. decre-
tum, quod nulla certitudo de gratia, idem statuitur de certi-
tudine prædestinationis & salutis. §. 17. primum arg. pro
sententia Pontificiorum. §. 18. arg. secundum Pontif. §. 19.
arg. III. §. 20. arg. IV, & V. §. 21. arg. VI. §. 22. arg. VII.
§. 23. arg. VIII. §. 24. arg. IX. §. 25. arg. X. ex Becano
formatum, prima probatio antecedentis. §. 26. secunda proba-
tio antecedentis. §. 27. 28. tertia antecedentis probatio. §. 29.
Johannis Baptista Gonet argumenta contra certitudinem salu-
tis, nobis in ordine XI. XII. XIII. XIV. §. 30. Bellarmini ar-
gumenta quatuor, in nostro ordine XV. XVI. XVII. XVIII.

§. 16. De certitudine gratiæ divinæ acriter dis-
ceptatum fuit inter ipsos Papicolas in Concil. Trident.
teste Petr. Suav. *Histor. Concil. Trident. libr. 2. p. 214.*
quod non planè diffiteretur Sfort. Pallavicin. *l. 8. Histor.*
Concil. Trident. c. 12. Dominicus Soto sicut fidem ju-
stificantem fiduciam esse negavit, ita certitudinem in-
mente fidelis de remissis sibi propter Christum pecca-
tis non admisit, existimans, eam esse temeritatem &
peccatum, cum nemo certò sibi persuadere queat, se es-
se in gratia, sed de eò ambigendum habeat, ut d. l. P.

Suavis loquitur : contra Ambrosius, Politus Catharinus dictus, postea Episcopus Minoritanus justum posse, imò debere pro certo statuere, se esse in gratia, contendit: tertiam opinionem in medium attulit Andreas Vega, sine peccato haberi posse persuasionem conjecturalem, fidem certam haberi non posse existimavit, quæ controversia cum principio leviter esset excussa, incalescentibus post partium animis, Concilium diu disputationibus tenuit implicitum, obtinuit tamen sententia, hominem in hac vitâ certitudinem fidei de suâ justitiâ habere non posse, vid. Bellarm. *l. 3. de justif. c. 3.* hoc vero sicut de præsentī gratia atque justitia asserunt Pontificii; ita idem propugnant de prædestinatione, electione ad gloriam, ipsaque gloria atque salute, ejus scil. in hac vita certitudinem fidei divinæ haberi non posse, ceu patet ex Bellarm. *l. 3. de justif. cap. 12.*

§. 17. Atque pro Pontificiorum sententia confirmanda plura proferri possunt argumenta: Labet autem primo loco adferre ea, quæ secundum luminis naturæ ductum pro ipsorum sententiâ adduci posse videntur: I. Argum. Negari nequit, hominis Christiani, quisquis tandem ille fuerit, quamdiu numerum mortalium complet, salutem æternam esse ex numero futurorum contingentium: futurorum verò contingentium nulla certitudo in actu cognitionis ex parte hominis esse potest. Nam si certitudo locum inveniret, determinata veritas adesset, quod non videtur admittendum esse: Implicat autem contradictionem, homini satis & certò constare de propositionis indeterminatæ determinatâ veritate: Quod autem propositio, quæ est de futuro contingente, non sit determinatæ veritatis patet, quia si determinata esset, nequiquam de contingenti futuro esset

set

set, determinatio namque infert necessitatem, adeoq;
tollit contingentiam.

§. 18. Arg. II. Accedit illustris locus *Aristotelis*,
quando *lib. 2. 1. epimv. cap. 9. §. 2.* propositionum de futu-
ro contingente certitudinem sive determinatam veri-
tatem negat, verba ejus hæc sunt: *In iis, quæ sunt, &
quæ facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem
veram vel falsam esse, & in universalibus quidem uni-
versaliter acceptis, semper alteram esse veram, alteram
falsam, nec non in singularibus: in universalibus autem non
universaliter sumtis, non est necesse: in singularibus au-
tem futurisque non similiter: nam si omnis affirmatio vel
negatio est vera vel falsa, omnia necesse est esse aut non
esse, si quis enim aliquid fore dicat, alter id ipsum neget,
profectò necesse est, alterum eorum verè dicere, si modo o-
mnis affirmatio vel negatio est vera vel falsa.*

§. 19. Arg. III. Præterea constat propositionem,
quam quis de futura salute sua format, esse merè con-
ditionalem: nunquam enim quis absq; fide salvabitur:
quid verò facilius est quam per peccata graviora fidem
amittere, unde nulla superest propositionis certitudo,
nisi quæ conditionalibus tribui potest, quibus tamen
rectè & absolutè dicta certitudo non videtur tribui pos-
se, juxta illam Logicorum regulam: *Conditionalis nihil
ponit.*

§. 20. Arg. IV. Et quâ ratione certitudo ejus da-
ri posset, quo de nemini quicquam liquet, nisi ex con-
jecturis, quæ omninò fallaces esse queunt. Arg. V. Ne-
mo insuper salva veritate dicit unquam aut potest dice-
re: *ego salvabor*, nisi æternam salutem speret: at spes
ferre certitudinem vere talem nequit, ut quisque natu-
ram spei satis perspectam habens oppidò fatebitur: nam

quod certè scis te habiturum, propriè ac rectè loquendo non speras, sed expectas, omnibus naturalium benè gnaris id admittentibus. Incertus es, quamdiu speras: Verus autem Christianus dum spirat, sperat.

§. 21. Arg. VI. Nunquam Theologiæ adversatur recta ratio, utpote quæ DEUM sui autorem agnoscit: sed prorsus non convenit cum recta ratione superbia, ejus vitii merito arguendus venit, quisquis se de futura sua salute certum credit, quia hoc ipso efficietur facile, ut se cæteris anteponat eosque despiciat, quos honore prævenire æquitatis naturalis erat.

§. 22. Arg. VII. Si ex DEI amico DEI inimicus fieri potest, quisque metuere necessum habebit, ne excidat DEI amicitiam, qui timor uti justus, ita perpetuus hostis certitudinis manet.

§. 23. Arg. VIII. Quod si tandem *ἀπὸς ἑσθῆ* sufficit, nemo gentilium moratorum necesse habuit dubitare de futura salute sua: unde cùm *Socrates* se certum imo certissimum æternæ salutis suæ existimaret, *non recti*, inquit, *rerum aestimatores sumus, quicumque mori malum esse arbitramur.* Rationem eam adjicit, quia *mori* sit nihil aliud quàm *migrare* illuc, ubi degant, qui justè vixerint. Unde quærit: *an nibili aestimanda sit hujusmodi migratio?* & concludit, quod quum ita sit, & per mortem non intereamus, sed certo migremus in alium locum, ubi feliciores simus futuri, mors in lucro deputanda sit. Nam ait: *Si hujusmodi quid est mors, eam ego lucrum appello.* Cur igitur id, quod improbatur in gentilibus, approbatur in Christianis hominibus, cum tamen his constet, post lapsum ex naturæ lumine nullam rationem, quæ nosmet DEO gratos reddat, suppetere, imo lex nos perpetuo accuset & convincat indigni-

gnitatis, ex quo nil aliud potest consequi, nisi perpetua dubitatio.

§. 24. Arg. IX. Et annon quotidiana ac universalis experientia testis est, Omnes, ut sic dicere liceat, etiam Christianissimos, sentire multum dubitationum? Quâ igitur re infirmiores magis perturbabuntur, quàm hac sententia, quòd hominem Christianum certum esse oporteat de æterna salute sua? Quis tentationum fluctibus expositus sentiet ullum veræ certitudinis gradum, ne dicam verè ac rectè sic dictam certitudinem. Et quis tandem eorum, qui se æternæ suæ salutis certos esse existimant, tam audax est, ut neget Christianos sæpè vacillare in fide, fluctuare, dubitare, languidas concedere assensiones divinæ veracitati ac bonitati?

§. 25. Sed audiamus ex Dd. Pontificiis *Martinum Becanum & Johannem Baptistam Gonet*. Ille *part. 2. Theol. Schol. tract. 4. cap. 2. quest. 7.* probare nititur, hominem certitudine fidei certum esse non posse, sibi propter Christum remissa esse peccata, ex quò indubitato sequitur, hominem nullam quoque certitudinem fidei de salute sua habere posse: quomodo enim is, qui non est certus se propitium habere Deum & peccatorum remissionem, certus esse poterit de salute sua, quæ absq; peccatorum remissione nemini obtingit? Atque hinc in ordine X. arg. resultat, quod huc redit: Si homo in hac vitâ certus esse non potest certitudine fidei sibi à DEO remissa esse peccata ac se justum esse in conspectu DEI, sequitur, quod etiam certus esse non possit certitudine fidei de salute suâ. Anteced. *Becanus* probat seqq. argumentis 1. *Nilil fide Catholica & justificante credendum est, nisi quod Deus revelavit. Sed Deus non revelavit huic aut illi, quod peccata sint ipsi remissa, ac proinde justus sit.* E.

non

non potest hoc credere fide Catholica & justificante. Ma-
jorem certam esse dicit, quia adæquatum objectum fi-
dei est veritas à Deo revelata. Ergo actus, qui non ver-
satur circa illud objectum, aut aliquam ejus partem,
non potest esse actus fidei. Minorem æquè certam es-
se ait, quia licet tempore Christi nonnullis revelata sit
peccatorum remissio, ut Paralytico, Magdalenæ, Zachæo,
Latroni in cruce, nuspiam tamē legi ait in scriptura huic
vel illi in individuo remissa esse peccata? objicit sibi Bec.
ex mente Adversariorum suorum, cum ait: Volunt qui-
dem adversarii revelationem contineri illis verbis: Act. 13.
39. In hoc omnis, qui credit, justificatur. Et Rom. 3.
22. Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super
omnes, qui credunt in eum. Sed nihil ad rem facere pu-
tat. Nam hæc revelatio & promissio, inquit, generalis
est. Non enim dicit scriptura: Lutherus justificatur aut
justitia Dei super Lutherum, sed generatim, Omnis, qui
credit, justificatur. Et justitia Dei super omnes, qui cre-
dunt. Porro hæc generalis promissio non potest ap-
plicari huic aut illi in particulari, nisi hoc modo ratio-
cinando: Omnis, qui habet veram fidem in Christum, justi-
ficatur. Sed Lutherus habet veram fidem in Christum, E.
Lutherus justificatur. Hæc tamen applicatio non est suf-
ficiens. Nam licet syllogismus bonus sit, & major pro-
positio revelata, tamen assumptio incerta & ambigua
est, quia tot vanitatis recessus habet, tot mendacii late-
bris scatet cor humanum, tam fraudulentâ hypocrisi
obrectum est, ut seipsum sæpè fallat, ipseque homo pu-
tet se habere veram fidem, quam tamen non habet.
Imo experientia testatur, reprobos interdum simili fere
sensu atque electos affici, ut ne suo quidem judicio
quicquam ab electis differant. Si ita est, quomodo
potes

potes certo credere te habere veram fidem? quid si te-
ipsum fallas? quid si inter reprobos sis, & non vero sen-
su fidei, sed simili afficiaris? quid si tuo iudicio, cum re-
probus sis, putes te ab electis non differre? Vides ut
omnia incerta sunt. Quomodo ergo certo tibi persua-
deas, remissa tibi esse peccata per fidem in Christum?
Nam si certus non es, te habere fidem, quomodo potes
certus esse, te per fidem justificari?

§. 26. Deinde anteced., quod homo fide justifi-
cante non possit credere aut certus esse, se consecutum
esse peccatorum remissionem, probat Becanus h. m.
Actus fidei justificantis debet præcedere justificationem
seu remissionem peccatorum. Sed ille actus quo quis
credit sibi remissa esse peccata, & se justificatum esse,
non præcedit justificationem & remissionem. Ergo non
est actus fidei justificantis. Major patet, quia omnis
causa est prior suo effectui, ut notum est ex *Philosophia*:
fides autem est causa justificationis, ut constat ex illo
Rom. V. v. 1. Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.
Unde patet, fidem justificantem esse priorem ipsa justi-
ficatione, sicut causa est prior effectui. At vero, quòd
actus ille, quo quis credit, remissa esse sibi peccata, non
sit prior justificatione, ac proinde non sit actus fidei ju-
stificantis, ex eo convincitur, quia si esset prior justifi-
catione & remissione peccatorum, jam is, qui crederet,
remissa sibi esse peccata, falsum crederet. Nam dum
ita crederet, non essent remissa, sed per illum ipsum a-
ctum remittenda. Responderi poterat, illum actum fi-
dei & remissionem esse simul, ita ut eodem instanti re-
mittantur peccata, quo quis credit, ea sibi remitti. Sed
de instanti temporis non disputatur. Sermo est de or-
dine naturæ seu causalitatis. Juxta hunc ordinem dici

C

non

non potest, actum illum credendi & remissionem peccati esse simul. Imo fateri coguntur adversarii, actum illum & priorem esse, & posteriorem remissione peccati, quantumvis absurdum id sit. Priorem quidem, quia est causa remissionis, ut ipsi asserunt, posteriorem verò, quia remissio peccati est objectum illius actus, actus autem præsupponit suum objectum. Hinc necessario debent concedere has duas propositiones: Remissionem factam esse prius natura, quàm credas factam esse, & remissionem non esse factam prius natura, quàm credas factam esse, quia per illum ipsum actum credendi, tanquam per causam fieri debet. Hæ autem propositiones contradictoriæ sunt. Ita *Becanus*.

§. 27. Tertiò *Becanus* antecedens argumenti decimi h. m. probat: Actus fidei justificantis non debet tollere aut impedire orationem, Sacramenta & alia pia opera in sacris literis commendata, & ad salutem pertinentia, ut per se manifestum est. Atqui ille actus, quo quis certò credit, sibi remissa esse peccata, tollit & impedit omnia modo dicta. Ergo non est actus fidei justificantis, sed potius impediens justificationem. Minor probatur, quia si certà & Catholicà fide credis, peccata tibi remissa esse, quomodo poteris adhuc orare, ut remittantur? quomodo dices cum Apostolis: *dimitte nobis debita nostra?* aut cum publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori?* Exemplo res fiet clarior: Sit Lutheranus, qui heri adulterium commiserit, hodiè per fidem apprehendat justitiam Christi, & certò statuat, peccatum illud sibi remissum esse per Christum: deinde cum cæteris templum adeat, & orationem Dominicam pronunciet. Quo sensu, quo animo is dicat, Domine dimitte mihi adulterium? Cur non potius metuat hanc aut si-

mi-

milem reprehensionem, stulte & fatue quid agis? Si certò credis, hoc peccatum tibi remissum esse, quid ultra mihi molestus es? quid precaris, ut remittam? si autem dubitas, & firmam fidem non habes de remissione, quomodo postulas tibi remitti, quod sine firma fide remitti non potest? ut persistatur in hoc argumento, res à simili explicanda est: Tam certo ac firmiter unusquisque debet credere, remissa sibi esse peccata propter Christum, quam certo ac firmiter credit, Christum esse natum, & pro nobis mortuum ac crucifixum. At, si quis Deum oraret, ut Christus nasceretur, moreretur & crucifigetur, is procul dubio infidelis esset, quia judicaret, Christum non esse natum, mortuum & crucifixum, quod repugnat fidei. Ergo similiter, si oraret Deum, ut remittantur sibi peccata, non minus esset infidelis, quia judicaret peccata non esse remissa, quod repugnaret fidei suæ. De sacramentis & piis operibus idem dicendum est. Nam quorsum hæc necessaria sunt, si certo persuasus es, te coram Deo justificatum esse; nec amplius indigere ullo remedio ad peccatorum remissionem impetrandam? frustra Ananias dixit Saulo, *Actor. XXII. v. 16. Exurge, & baptizare, & ablue peccata.* Quare frustra? quia juxta Lutheranos jam certo credebat Saulus, peccata esse abluta.

§. 28. Hactenus probatum est à *Becano* antecedens argumenti decimi, quod firmiter ac certò nemo credere queat, peccata omnia sibi esse remissa propter meritum Christi: quomodo igitur certus erit de sua justificatione, quomodo poterit certus esse de sua perseverantia? At si certò nescias te perseveraturum in gratia, quomodo certo scias, te prædestinatum esse & salvum fore? Et sanè si unicuique fideli certo constaret,

se ad vitam æternam esse prædestinatum & salvandum, cur non abjiciat omnem timorem & sollicitudinem, præfertim cum prædestinatio mutari aut falli non possit?

§. 29. Alter, cujus supra mentio facta est, nempe *Johannes Baptista Gonet* in suo *Theologia Thomistica clypeo Tom. 2. tract. 5. Diss. 4. art. 2.* argumentum XI. subministrat: postquam enim posuit hanc conclusionem: Neminem in hac vitâ seclusa DEI revelatione, posse certum esse, an sit in numero prædestinatorum, probat eam ex *Eccles. 9. Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu DEI, & tamen nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta &c.* Addit ibid. rationem, quæ nobis est XII. arg. Nemo potest certò scire ea, quæ pendent ex sola voluntate DEI, nisi DEUS ea revelet, juxta illud Apostoli *1. Cor. II. v. 11. Nemo novit, quæ sunt DEI, nisi Spiritus DEI.* Sed nostra prædestinatio adeoque etiam salus pendet ex sola gratuita voluntate DEI. E. seclusa DEI revelatione nemo scire potest, an numero prædestinatorum adscriptus & salutem consecuturus sit. Idem porrò confirmat h. m. quod est argum. XIII. Nemo potest habere certitudinem infallibilem de sua prædestinatione & salute, nisi etiam habeat infallibilem certitudinem de sua perseverantia, juxta illud *Mattb. X. v. 22. Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit.* Cum ergo nemo seclusa speciali Dei revelatione possit habere infallibilem de sua perseverantia certitudinem, manifestum est, neminem in hac vita posse de sua prædestinatione & salute securum esse. Denique pro confirmandâ suâ sententiâ ita scribit *Gonet*: quod nobis est XIV. argum. Seclusâ fide & revelatione divinâ non potest aliquid certò cognosci nisi per causam vel per effectum: sed neutro modo potest cogno-

gnosci prædestinatio vel salus obtinenda: prædestinatio enim non habet aliam causam, quàm gratuitum divinæ voluntatis decretum, quod nobis occultum est, & nullus datur effectus, cum quo habeat indissolubilem nexum, nisi sola finalis perseverantia, de quâ nemo potest habere infallibilem certitudinem. E. seclusa DEI revelatione nemo potest esse certus de sua prædestinatione & salute, quamdiu est in hoc mundô, ubi, ut quidem ait: *est via in lubricô, vita in periculô, salus in dubiô.*

§. 30. Bellarminus *l. 3. de justific. c. 12.* ex Scripturis conatur probare, nullam in hac vitâ de prædestinatione & salute certitudinem fidei haberi posse, adducit 1. quod in ordine est arg. XV. quod Apostolus *Rom. XI. v. 33.* de prædestinatione disputans, refert hoc mysterium inter altissima DEI secreta, exclamans: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus &c. quibus indicari putat Bell. non posse sciri sine revelatione (speciali) quem DEUS elegerit, & quem non elegerit.

§. 31. Secundum Bellarmini argumentum, quod in ordine nostro est XVI. inde desumptum est, quod Scriptura hortatur omnes fideles ad timorem, *Rom. XI. v. 20. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, &c. 1. Cor. X. v. 12. Qui stat, videat, ne cadat. Philip. II. v. 12. Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Apoc. III. v. 11. Tene, quod habes, ne forte alius accipiat coronam tuam &c.*

§. 32. Tertium argumentum Bellarminus, quod nobis est XVII. inde petit, quod Scriptura disertis verbis doceat salutem pendere à conditione operum, *Matth. V. v. 20. Nisi abundaverit vestra justitia plus quàm Scriba-*

rum & Pbariseorum, non potestis ingredi in regnum cœ-
lorum. *Matth. XIX. v. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva
mandata. Rom. VIII. v. 17. Quod si filii & hæredes, si tamen
compatimur, &c. 2. Tim. II. v. 11. Si commortui sumus &
convivemus: v. 5. Quod si certet etiam aliquis, non coro-
natur, nisi legitimè certaverit.* At concedunt Adversarii,
inquit Bellarminus, nullam posse esse certitudinem, si
ea pendeat à conditione operum: unde igitur tam con-
fidenter affirmant, se de salute & vita æterna esse cer-
tissimos.

§. 33. Quartum Bellarmini Argumentum, nobis
XVIII. inde petitur, quod Scriptura testatur, multos ad
tempus credere, & postea circa fidem naufragare &
perire, ut patet *Luc. VIII. de semine, quod cecidit super
petram, quod exponit Dominus de iis, qui ad tempus
credunt. 1. Tim. IV. v. 1. Spiritus manifeste dicit, quia in
novissimis diebus quidam desciscent à fide. Qui autem
à gratia & fide exciderunt, nullam certitudinem ha-
bent suæ restitutionis in gratiam. vid. d. l.*

Rationes, quas adjicit Bellarminus, partim nihil
habent in recessu, partim in præced. allatæ sunt.

SECTIO III.

Veram ac orthodoxam sen- tentiam probans ac con- firmans.

§. 34. Primum argumentum pro vera sententia proponitur cum
probationibus. §. 35. secundum argumentum pro vera sen-
tentia cum probat. §. 36. pro eadem argumentum tertium.
§. 37. argum. quartum. §. 38. de universalibus DEI pro-
missionibus. §. 39. argumentum ex *2. Petr. I. v. 10.*

§. 34.

§. 34. Argumenta, quibus Nostrates Theologi affirmativam, eamque veram ac orthodoxam sententiam, quod verus Christianus de salute sua certitudinem fidei hypotheticam habere possit, probant, multa passim in eorum scriptis inveniuntur, quæ omnia adducere cum nostri instituti non sit, saltem potissima attingemus. Et primò quidem argumentum suppeditat infallibilis de remissione peccatorum certitudo, conjuncta cum proposito firmo mediis ad fidem conservandam ordinatis utendi, & Spiritui S. contumaciter non resistendi, sed in verâ pietate persistendi. Nullum quippe dubium est, quin verus Christianus & pius homo, hoc stante, quod certo sciat sibi propter Christum remissa esse peccata, firmumque propositum habeat, mediis ad conservationem fidei à DEO institutis constanter utendi, Spiritui S. contumaciter non resistendi, inque vera pietate persistendi, certus esse possit de futura sua salute æterna. Argumentum igitur est tale:

Si homo verè Christianus, cui salus animæ curæ est, certò scit sibi propter Christum remissa esse peccata, insuper etiam firmum habet propositum, mediis, quæ DEUS ad fidei conservationem ordinavit, constanter utendi, Spiritui S. contumaciter non resistendi & in verâ pietate persistendi, cum certa spe DEUM gratia sua impofterum quoque adfuturum, sequitur quod possit certus esse de futura sua salute æterna. Antecedens est verum. Ergo & consequens. Consequentia est clara. Nam, ut primò agamus de certitudine remissionis peccatorum, certum est, quod, sicut peccata nostra nos à DEO separant, & faciunt, ut occultet faciem suam à nobis, *Esa. LIX. v. 2.* ita, si verâ fide amplectamur Christi satisfactionem, rursus cum DEO uniamur, pacem

cem cum Deo habeamus per Dominum nostrum Jesum Christum, *Rom. V. v. 1.* ut nobis, quia Christo Jesu insitum sumus, nullum sit *κατάκριμα*, nulla condemnatio metuenda, *Rom. VIII. v. 1.* ubi autem novit homo, nullam sibi condemnationem metuendam, ibi certus quoque esse potest de salute æterna. Si quis objicere velit subsequens tempus post obtentam remissionem peccatorum, quod facilis iterum lapsus sit in peccata contra conscientiam, & fides excuti possit, consideret, quod additum est in argumento, *si quis insuper firmum habeat propositum mediis, quæ Deus ad fidei conservationem ordinavit, constanter utendi:* ubi enim tale propositum est, ibi Spiritus S. per media fidei conservandæ efficax est, fidem in Christum fovet, conservat atque corroborat, quæ per charitatem & studium bonorum operum sese exerit, nec peccato contra conscientiam locus relinquitur: neque sine ratione additum est, *si adsit propositum Spiritui S. contumaciter non resistendi, & in vera pietate persistendi &c.* sicut enim per hoc, quod quis Spiritui S. contumaciter resistit, & in sincera pietate non persistit, Spiritus S. contristatur, *Ephes. IV. v. 30.* ut gratia sua ab homine recedat, & homo æternæ damnationis periculo exponatur: ita cum Spiritui S. non resistitur, veræque pietati opera datur, Spiritus S. gratiosè præsens est, fidem corroborat, hominem in spe vitæ æternæ confirmat, dubitationes de salute suppressit, ut homo Christianus de salute suâ certus esse possit: additur denique: *cum certâ spe, Deum gratiâ suâ imposterum quoque adfuturum gratia sua &c.* hæc spes, quia oritur ex fiduciâ in Christi merito & satisfactione posita, non confundit, *Rom. V. v. 5.* sed homo de eò, quod sperat, certus esse potest.

Ante-

Antecedens per singula membra facile probatur,
& quidem quod homo verè Christianus, cui salus animæ
curæ est, certus sit de remissione peccatorum suorum,
clarum est ex Rom. V. v. 1. ubi Apostolus, δικαιωθέντες, inquit,
ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, v. 2. διὰ τοῦ
καὶ τῆς προσευχῆς ἐξήκαμεν τῆς πίστεως εἰς τὴν χάριν ταύτην &c.
*Justificati fide, pacem habemus erga Deum per Dominum
nostrum Jesum Christum, per quem & contingit nobis, ut
fide perduceremur in gratiam hanc &c.* Sanè qui pacem
habet cum DEO per Christum, cui accessus conceditur
in gratiam, ut in eâ stet atque gloriatur sub spe gloriæ,
ut d. l. Apostolus loquitur, ille certus est de suâ pecca-
torum remissione. Atqui verè Christianus pacem habet
cum DEO &c. Ergo de suâ peccatorum remissione cer-
tus esse potest. Major prosyllogismi facile patet. Non
enim pax apud Deum aliunde oritur nisi ex remissione
peccatorum, & quod quis novit se habere cum Deo pa-
cem, inde est, quod novit sibi à Deo peccata esse remis-
sa. Sicut enim per peccatum Deus ab homine offen-
debatur, & propter hanc Dei offensam fiebat irrequieta
hominis conscientia, & in perpetuo quasi fluctu posita
iram Dei per peccata provocatam metuebat: ita ad pa-
cem cum Deo & tranquillitatem conscientiae reducen-
dam, opus erat mediatore, qui non tantum pro nobis
deprecaretur, verum etiam pretium redemptionis &
reconciliationis, quod secundum suam justitiam pars
offensa exigebat, persolveret, atque eo modo amicitia-
m & pacem cum Deo nobis restitueret. Ideò dicit
Paulus, pacem quidem nos habere, verum nullo modo
ex nobis, sed per Dominum nostrum Jesum Christum,
fide apprehensum. Quicumque igitur ex inimico fit a-
micus Dei, fide in Christum fit amicus Dei, & pacem cum
D Deo

Deo habet, & dum certus est de fide, certus etiam est de pace & de remissione peccatorum. Minor clara est, verè enim Christianus seu fidelis est talis per fidem, per quam est justificatus, per fidem autem justificatus pacem habet cum Deo, teste Apostolo d.l.

Quod porrò in antecedente principalis argumenti dicitur, *verè Christianum habere firmum propositum mediis à Deo ad fidei conservationem ordinatis constanter utendi*, id patet ex naturâ fidei, per quam Christianus est talis, hæc enim cum contemptu mediorem fidei conservandæ non consistit: quod in eodem dicitur: *verè Christianum habere propositum Spiritui S. contumaciter non resistendi & in verâ pietate persistendi &c.* id clarum est ex Rom. VI. v. 2. Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac vivemus in eodem? loquitur ibi Apostolus de veris Christianis fide justificatis, eosque in peccato non vivere ait, ergo habent propositum in peccatis non vivendi, sed in verâ pietate persistendi. Quod deniq; dicitur, Christianum spem habere, Deum gratia impofterum adfuturum, id etiam facile probatur, quia justificati per fidem sunt justificati, cum fide autem cohæret spes & ex eâ oritur, Conf. Rom. V. 2. seqq.

§. 35. Alterum argumentum desumimus ab infalibili promissionum divinarum ac juramentorum certitudine, eumque in finem meritissimo jure commendamus *caput sextum Epistolæ ad Ebraeos maximè vers. 13. seqq.* Quicumque certò scit sibi à Deo promissionem æternæ salutis factam, juramentoq; confirmatam esse, nec datâ operâ Deo gratiosè operari volenti vult reluctari, nec ita se gerere, ut promissiones Dei & juramentum ejus in se irritum reddatur, is omninò certus potest esse de futura sua salute æterna. Atqui verè Christianus & pius ho-
mo

mo certo scit sibi à Deo promissionem æternæ salutis factam juramentoque confirmatam esse, nec data opera Deo gratiosè operari volenti vult reluctari &c. Ergo verè Christianus & pius homo omninò certus esse potest de futura sua salute æterna. Major propositio certissimæ veritatis est: est enim jusjurandum ἐκ τῶν πραγμάτων ἀμεταβέτων ἐν οἷς ἀδύνατον ψευδοῦσθαι θεῶν, ex rebus immutabilibus, in quibus prorsus nequit fieri, ut Deus mentiatur, si ex parte hominis accedat etiam hoc, ut seriò sibi caveat, ne Dei gratiæ reluctetur, aut illud agere velit, quo promissionibus Dei excidat, patet nihil causæ esse, cur promissiones Dei non impleantur, & Christianus de promissa salute dubitare velit:

Minor probatur ex Ezech. XXXIII. v. 11. *Vivo ego, dictum Domini Jehova, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat.* Per illud vivo ego inquit ad h. l. Sanctius Jesuita, *Deus significat, quantopere nostram salutem cupiat, ut mortem peccatoris aversetur: quandoquidem non id utcumque affirmat, sed interposita jurisjurandi firmitate.* Et Tertull. lib. de pœnit. c. 4. *Bonum est, inquit, pœnitere, annon? quid revolvis? Deus præcipit: at enim non præcipit tantùm, sed etiam hortatur: invitat premio salutem, jurans etiam, Vivo, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* Et Ebr. VI. v. 12. hortatur Apostolus, *Ne sitis imbecilles, sed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam hereditatem accipiunt promissionis. Jubet imitari eos, qui per fidem hereditario jure obtinent promissionem, per fidem inquit, eam scil. quâ indubitato & certo credunt ac confidunt, si constanter in Confessione nominis Christi persistant, & vitæ hujus caduca bona ac brevis temporis molestias ejus amore con-*

remnant, æterna bona & gaudia ab ipso se recepturos: promissio enim Ebraeorum more pro bonis promissis ponitur, ut habet B. Horn. ad h. l. Pergit Apost. v. 13. 14. *Deus enim pollicitus Abraba, cum non posset per quenquam majorem jurare, juravit per seipsum: Dicens, benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te &c.* Hisce respectus habetur ad Gen. XXII. v. 16. *Dixit, per me ipsum juro, dictum Jehovæ, quandoquidem fecisti hanc rem, & non subtraxisti filium tuum, unicum tuum, me benedicendo benedicturum tibi, & multiplicando multiplicaturum semen tuum, sicut sunt stella coeli, & sicut arena, quæ est in littore maris, & hereditario jure possessurum semen tuum portam inimicorum suorum, & benedictos fore in semine tuo omnes gentes terra:* in quibus tria Deus Abrahamo promittit, & juramento confirmat, 1. multiplicationem seminis ejus, 2. terram Canaan, 3. benedictionem gentium in semine suo, h. e. Christo, quod est spirituale bonum, æternamque salutem juramento confirmatam complectitur, nisi homo impietate sua hac promissione excidat:

Quod etiam verè Christianus Deo gratiosè operari volenti non velit reluctari, patet, quia ex Deo natus est, talis autem peccatum non committit, teste Johanne 1. *Epist. III. v. 9.*

§. 36. Argumentum tertium ab efficacia precum ducitur: Sanè mellitissimus Salvator noster Christus Jesus certum reddit exauditionis quemlibet in vera pœnitentia & fide petentem salutem æternam, non hæsitantem, non fluctuantem dubitationibus. Ita enim *Job. XVI. v. 23.* *Αὐτὸ ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα ἐν τῷ ὀνόματι μου, δώσει ὑμῖν. Amen, amen dico vobis, quacunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. vers. 24.*

Αἰτῶ

Αἰτεῖτε, καὶ λήψεσθε ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.
 Petite, & accipietis: ut gaudium vestrum sit plenum.
 Quid enim est petere in nomine Christi. Certè quia no-
 men Filii Jesus est, Jesus autem Salvator, vel etiam saluta-
 ris dicitur: Ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud
 petit, quod ad veram salutem pertinet. Nam si id, quod
 non expedit, petitur, non in nomine Jesu petitur pater:
 Unde & iisdem Apostolis adhuc infirmis Dominus dicit: Us-
 que modo non petiistis quidquam in nomine meo, ac si aper-
 te diceret: non petiistis in nomine Salvatoris, qui nescitis
 querere aeternam salutem: Verba sunt Gregorii hom. 27. in
 Evang. Idem Augustinus tradit tract. 102. in Johan. In Je-
 su nomine petimus, quando ea petimus, quæ Christus in-
 finito passionis & mortis suæ valore pro nobis promeri-
 tus fuit. Non potest Deus optimus maximus tibi gra-
 tiam subtrahere vulnera Christi ostendenti, quæ unige-
 nito Filio suo inflixerat ob peccata tua, ut satisfaceret
 pro iis. Unicum, firmissimū ac profus immobile precum
 fundamentum meritum Christi est. Deus precibus in no-
 mine Christi factis si repudium mitteret, Christum ipsum
 repudiaret. Si tibi Imperator dicat, pete quod vis, quos tribu-
 natus comitatusq; optares, quæ tibi proponeres & accipienda
 & aliis largienda? Augustinus conc. 1. in Ps. 31. Christus dixit:
 Pete in nomine meo, promisit, statuit pactum cum quo-
 vis Christiano pioque homine. Hoc ergo dicente, quid
 petiturus es? excute mentem, exerce avaritiam, dilata cu-
 piditatem tuam. Non quicumque sed omnipotens dixit.
 Pete quod vis, nihil invenies carius, nihil melius, quam
 ipsum qui fecit omnia: Ipsum pete, qui fecit omnia, & in
 illo habebis omnia, quæ fecit, nihil magis vult dare quàm
 seipsum. August. c. loc. Quid verbis opus est? Hæc est fidu-
 cia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus

secundum voluntatem ipsius, audit nos, 1. Johan. V. v. 14. Scimus, quia audit nos, quicquid petierimus: Scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulavimus ab eo. Quid igitur obstat, quo minus pro certo habeamus verum Christianum certum esse posse de æterna salute sua? En medium terminum! Christus dixit, promisit, exauditionem precum juravit. In hoc perfecta est charitas cum nobis, ut fiduciam habeamus in die iudicii: quia sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: at timens non perfectus est in charitate. 1. Joh. V. v. 18.

§. 37. Argumentum quartum ex certitudine fidei, in qua Christianus vereque pius homo est, desumitur indeque vim ac ingens robur accipit. Ita enim Spiritus S. calamo Pauli, 2. Cor. XIII. v. 5. *Vosmet ipsos tentate, an sitis in fide: Vos ipsos probate.* Ἡ σὰν ὀπιγνώσκετε ἑαυτὰς, ὅτι ἰησοῦς χριστὸς ἐν ὑμῖν. Ἰσθιν, εἰ μήτι ἄρα ἀδόκιμοὶ ἐσε; *Annon cognoscitis vosmet ipsos, quia Jesus Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis.* Et quid evidentius esse poterat quidve certius? modo verba omni pretio majora ponderemus, quæ extant Rom. VIII. v. 15. *Non accepistis Spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* v. 16, 17. *Ἐν τὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τὰ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεῶ. Εἰ ἢ τέκνα, καὶ κληρονόμοι. Κληρονόμοι μὲν Θεῶ, συγκληρονόμοι ἢ Χριστοῦ ἐπιτερο συμπάχομεν, ἵνα καὶ συνδοξαθῶμεν.* *Ipsse Spiritus contestatur Spiritui nostro, quod simus Filii DEI. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si modo compatiamur, ut & conglorificemur.* Nisi certus esset verè Christianus & pius homo, se habere veram ac salvificam fidem, quomodo Spiritus S. & Spiritus
ei

ei inexistent, id est, conscientia ejus, ut explicat *B. Bal-*
duin. in b. l. testari posset in eo, quod sit filius Dei. Pot-
est ne quis ex Spiritu S. testimonio, utpote semper infal-
libili, certus esse se contineri in numero Filiorum Dei,
ut non sit certus de fide suâ & peccatorum remissione?
Nemo namque potest esse Filius Dei, nisi per fidem pec-
cata ei sint remissa. Potestne quis habere Spiritum
adoptionis, per quem clamare ad Deum Patrem, *Abba*
Pater! queat, nisi certus sit de fide? Dum ergò verè
Christianus Spiritum S. accipit, hoc est, dum in animo
ejus efficax est Spiritus S. per verbum suum, fiduciamq;
efficit & amorem placati Domini, ut *Abba Pater!* non
tam sono vocis, quam intentione cordis (quæ propter
sui vehementiam clamor dicitur *Exod. XIV. v. 15.*) cla-
met, animo persuasissimum ac certissimum esse fa-
cit, quod habeat veram ac salvificam fidem. Qui ergo
de fide sua certus esse potest, is etiam certus esse potest
de futura æterna salute sua, maximè si omni studio vi-
tat ea, quibus fides excutitur. Atqui Christianus & pius
homo certus potest esse de fide sua, ut patet ex hæcenus
dictis. Conf. *Gal. IV. v. 6. 1. Job. V. 10.* E. O. vere Christia-
nus & pius homo potest esse certus de futura æterna sa-
lute sua, maximè si omne adhibet studium, ut ea, quibus
fides excutitur, vitet.

§. 38. Et quò plura sane argumenta quærimus, eò
plura sese offerunt. Plenus est sacer codex firmis-
simis hujus rei argumentis, eodemque collineant tot uni-
versales promissiones. *Ezech. XXXIII. v. 11. Vivens ego, di-*
vertat se à via sua & vivat. Convertimini, convertimi-
ni à viis vestris malis, cur moriemini Domus Israël? Add.
Rom. XI. v. 32. 1. Tim. II. v. 4. 2. Pet. III. v. 9. Ecquis verò
Chri-

Christianorum ac verè piorum dubitaverit, modò inastimabilem ac nunquam satis æstimandam æstimet ac corde suo reputet dilectionem Dei, dilectionem certissimam, firmissimam, constantissimam. Aureum est dictum: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Johan. III. v. 16. Add. Esa. LIII. v. 6. Rom. V. v. 18. 2. Cor. V. v. 15. 1. Tim. II. v. 6. 1. Job. II. v. 2.* eaque fini foedus Baptismale inivimus, quotquot veri Christiani esse volumus. *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Marc. XVI. v. 16.*

§. 39. Itaque stat Nostratum Theologorum sententia, cui merito subscribimus, ipsaque cœlestis veritas subscribere jubet. *Quapropter Fratres, ait Petrus 2. Epist. I. v. 10. Potius studete vocationem & electionem vestram firmam efficere.* Sic enim B. Johannes Gerhardus ex hoc loco concludit: Qui electionem suam possunt & debent firmam efficere, illi possunt esse de electione sua certi. Veri Christiani possunt ac debent electionem suam firmam facere. Ergo veri Christiani possunt esse de electione sua certi. Si de electione, quidni etiam de futura æterna sua salute?

SECTIO IV.

Argumenta Adversariorum examinans atque solvens.

§. 40. resp. ad primum arg. advers. §. 41. & 42. resp. ad secundum arg. ex Arist. lib. *Metaph. c. 9.* petitem. §. 43. resp. ad tertium arg. §. 44. ad argum. quartum & quintum. §. 45. ad sextum argum. advers. §. 46. resp. ad arg. septimum. §. 47. ad argum. octavum. §. 48. ad nonum. §. 49. 50. 51. ad Be-

cani

cani argument. Et primam probationem anteced. respondetur.
§. 52. ad secundam antecedentis probationem. §. 53. ad ter-
tiam probationem antecedentis. §. 54. 55. respondetur ad
Goneti argumenta. §. 56. 57. 58. 59. respond. ad argumenta
Bellarm. contra certitudinem predestinationis.

§. 40. Ordo exigit, ut quid ad adversariorum ar-
gumenta *sectione secundâ* allata respondendum sit, vi-
deamus. Ad primum §. 17. allatum respondemus, con-
cedendo, salutem æternam esse ex numero futurorum
contingentium: quod autem dicitur, futurorum con-
tingentium nullam certitudinem esse in actu cognitio-
nis ex parte hominis, id, si hoc intelligatur sensu, quod
fut. conting. certo cognosci non possunt, manifesto pe-
titur id, quod est in principio: quod dicitur, in proposi-
tionibus de futuro contingente non esse determinatam
veritatem, eadem facilitate, quâ asseritur, negatur: sicut
enim futurum contingens est determinatè futurum, ita
propositio de futuro contingenti est determinatè vera:
ut autem intelligatur rectius, quod futurum contingens
sit determinatè futurum, sciendum est, quod futurum
aliquid dicatur in ordine ad causam, à qua producendum
est: illa causa autem potest dupliciter spectari 1. ratio-
ne libertatis, quâ potest agere & non agere, producere
aliquid & non producere, & hoc respectu habet aliquid
à suâ causâ hoc, quod est contingens: 2. quatenus se de-
terminabit ad aliquid producendum, & h. m. aliquid à
causâ suâ habet, quod est futurum: quia ergo causa cer-
tò se determinabit, etiam contingens certo produce-
tur, & sic determinatè est futurum: Quod denique asse-
ritur, determinationem inferre necessitatem, id ipsum
est, quod negatur, sicut enim id, quod præsens est, deter-
minatè est præsens, nec tamen illicò sequitur, quod ne-
cessa-

E

cessa-

cessariò præsens sit: ita quod futurum est, est determinatè futurum, nec tamen statim sequitur, quod sit necessariò futurum: determinatio igitur est latius quid necessitate, & extendit se tum ad necessarium, tum ad contingens.

§. 41. Ad II. arg. §. 18. ductum ab *Aristotelis* autoritate, quod attinet, fuerunt, qui excusarunt *Aristotelem*, ipsumque hoc saltem voluisse censuerunt, quod nullum inveniri possit fundamentum, ex quo hominis intellectus dignoscere valeat, utrum propositiones de futuro merè contingenti sint veræ, an falsæ? cum alias ipse *Aristoteles* contingentium dari scientiam posse, in *Analyticis* asseruerit, & aliquibus exemplis abundè probatum dederit: Sed qui *Aristotelis* sententiam accuratius expendunt, (quæ opera à nostro instituto nunc aliena est) videbunt facile, eum assertionis suæ fundamentum in eo collocasse, quia si propositio de futuro merè contingenti, e. gr. hæc; *Petrus curret*, esset determinatè vera, tolleretur omnis contingentia, omnis libertas actionum humanarum. Nam si hodie esset vera, ergo & heri & nudius tertius fuisset vera, ergo Petri cursus ab æterno determinatus fuisset, & consequenter Petrus non posset non currere, quia quod vi æternæ veritatis æternæq; determinationis futurum erat, non potuit non esse futurum: sic ergo Petrus non liberè, sed necessariò curret, quod absurdum. Idem *Ciceronem* lib. 2. de *divinatione* movit, ut cum libertatem arbitrii defenderet, denegaret Deo præscientiam futurorum: in quem dixit *Augustinus* V. de *Civ Dei* c. 5. *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*. Et horum certe invenias plures, qui *Aristotelis* legerunt vestigia, ac quod ad præsens maximè spectat inter illos etiam quosdam Pontificios. Sic enim scribit *Petrus Hurtadus de Mendoza*

2A,

za, Valmasedanus. Societatis Jesu, de anima, disp. 9. sect. 6. subsect. 2. §. 43. Ex his fontibus (loco Aristotelis, quem prius adduxerat) Simon Magus, Wicleph, hareticiq; alii hauserunt in nobis aut libertatem non esse, aut Deum esse ignorantem futurorum, & quod mirum est à Catholicis non pauci (sed alio fundamento) veritatem & falsitatem negant propositionibus de futuro contingenti, ne ab Aristotele vel latum ungvem discedant, qui tamen in eam sententiam incedit ex errore blasphemio, quo censuit non posse conciliari liberum arbitrium creatum cum præscientia Dei. Paulò post verò ita scribit Mendoza: B. Thomam ejusque nonnullos discipulos ego lubens exponam, cujus autoritas pluris interest ecclesie, quam Aristotelis. Cum ergo ajunt, propositiones esse disjunctivè veras aut falsas, non loquuntur de ipsis in se: Nam Deo & Prophetis tribuunt veram cognitionem (quam negavit Aristoteles) sed loquuntur quoad nos, quibus res non sunt intentionaliter præsentis: nec est fundamentum ad dignoscendum, utrum sint veræ, an falsæ. Hæc Mendoza. Ex quibus patet, quæ sit Pontificiorum sententia de propositione hac, quæ est de futuro contingente, Ego Salvabor: scil. veritatem ejus DEO & Prophetis ex revelatione divina speciali esse cognitam, homini verò de cujus salute quæritur, non certò cognitam esse, cum specialis revelatio ei non obtigerit. Verùm, quod ad hoc, ut homo certus sit de salute suâ, non requiratur, ut ei in individuo sive specialis revelatio à Deo facta sit, sed quod sufficiat revelatio virtualis, ex ipsa hac disputatione satis patet.

§. 42. Cæterum, quod locum Aristot. libr. *de æqu.* c. 9. qui §. 18. adductus fuit, attinet, in quò docet Arist. in propositionibus de futuro contingenti non esse veritatem vel falsitatem, quia aliàs omnia necesse esset esse

vel non esse, dubium non est, quin Aristoteles lapsus sit, & propositionibus de futur. conting. determinatam veritatem denegaverit, inprimis, ut contingentiam rerum hominisque libertatem adstrueret atque defenderet: quod attinet rationem, *quod omnia necesse sit esse vel non esse*, negamus consequentiam, quia ex determinatione non illicò necessitatem inferre licet, nisi forte de necessitate ex hypothesi sermo sit, quâ aliquid, posito, quod sit futurum, necessariò futurum dicitur. Sicut enim Aristoteles *Met. epu. c. 7.* dixit: *Omne quod est, quando est, necesse est esse: Et omne quod non est, quando non est, necesse est non esse:* Ita dicimus: *Omne quod est futurum, quando est futurum, necesse est esse futurum:* Interim sicuti non omne, quod est, necesse est esse absolutâ necessitate: ita etiam non omne, quod est futurum, absolutâ necessitate necesse est esse futurum, sed tantum hypothetica, quæ contingentiam non tollit. Sed dices: Si futurum contingens præcognoscitur, e. gr. à Deo, necesse est, illud futurum esse, ejusque contingentia perit. Resp. præscientia futuro nullam adfert necessitatem, cum prius aliquid sit futurum, quàm præsciatur. *Benè Mendoza: Deus quasi spectat & quasi à longe è specula prospectat ipsos effectus, quos existentes in aliqua temporis differentia, intuetur ab aeterno, ut existentes tali tempore: Cum ergo hæc scientia & veritas propositionis non precedant, sed subsequantur illos eventus, nullam illis necessitatem imponunt.*

§. 43. Ad III. argumentum §. 19. allatum respond. concedendo quod sine fide nemo unquam salvetur, & quod nihil facilius sit quàm per peccata graviora fidem amittere. At cave ludas termino: *merè conditionalis.* Merè *conditionalis* propositio, si idem sit ac non simpliciter abso-

absoluta, quælibet propositio, quam citra specialem Dei revelationem de futura æterna sua salute Christianus format, est merè conditionalis: quod si *merè conditionalis* idem sit, ac nullatenus determinata, fallitur fallitque Pontificius, qui propositionem: *Ego salvabor*, à quocunque tandem Christiano citra specialem Dei revelationem prolata fuerit, pro merè conditionali venditat. Quid? si speciali Dei revelatione innotescat certitudo propositionis de æterna alicujus salute, annon adhuc certitudo talis propositionis niteretur conditione finalis fidei? Excipi poterat Deo absolutè de eo liquere, quod vera in Christum fide ex hujus vitæ mortalitate Christianus sit decessurus? Resp. quis de eo dubitaret? interim relinquitur hominem vi revelationis virtualis de eodem certum esse posse, ceu ex superioribus patet. Quod attinet regulam Logicorum, *Conditionalis nihil ponit inesse*, ea nobis non adversatur: intelligenda enim est de antecedente & consequente propositione conditionalis cum particula *Si* spectato, quod hac ratione nec antecedens nec consequens categoricè affirmet aut neget: tota tamen propositio omninò aliquid ponit.

§. 44. Frustra vicem *argumenti IV. §. 20.* gerit tantæ audaciæ assertum, ac si nemini quicquam de futura æterna salute liqueat, nisi ex conjecturis, quæ omninò fallaces esse queant: Quasi verò meræ opinionis veræque fidei una mater sit. Revelatio, quæ fidem parit, utique metas artis merè dialecticæ egreditur, nec homo verè Christianus, cum revelatione divinâ, utut virtuali tantùm, nixus certò credit se salutem esse consecuturum, meris conjecturis nititur. Nec verò majori robore gaudet *argumentum V. ejusdem §. 20.* Si vel maximè

E 3

enim

enim nemo salva veritate dicere queat, *ego salvabor*, nisi æternam salutem speret: negamus tamen, quod spes nullo modo certitudinem ferre queat. vid. *Thom. 2. 2. qv. 18. art. 4.* Sanè si naturam spei, quam definitio ejus nobis explicat, consideremus, nullam deprehendimus incertitudinis inentionem: est enim spes adpetitio boni futuri, ardui quidem ad obtinendum, at possibilis tamen, nulla hic incertitudo, quam spes in ratione suâ includat, memoratur: si dixeris, spem tamen esse *boni ardui*. Resp. bonum arduum non illicò incertitudinem importare: siquis enim instructus sit illis, quibus difficultas omnis certò superari potest, incertitudo expirat: certè spes vitæ æternæ nascitur imprimis ex fiducia in Christi merito posita, quam Spiritus S. cui homo verè Christianus non vult resistere, subinde corroborat, vires homini pio largitur, ad difficultates omnes superandas, & infirmitatibus nostris auxiliatur. *Rom. VIII. v. 26.* nihil causæ igitur est, cur hic incertitudinem fingamus. Sed dicit Bellarm. *Si quidem nihil requireretur ad futuram æternam salutem, nisi promissio Dei, haberemus etiam de his rebus absolutam & infallibilem certitudinem, tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non sumus tam certi, ideò spes non expellit omnem timorem*, verba sunt Bellarmini, quibus B. Gerhardus ita satisfacit, *Promissio*, inquit, *salutis in Evangelio eo modo ac sensu est absoluta, quod non requirat conditionem aliquam meritoriam ex parte nostra, sicut legales promissiones conditionem perfectæ obedientiæ requirunt, interim tamen fatemur eos solummodo participes fieri bonorum in Evangelio promissorum, qui veram agunt pœnitentiam, & fide in Christum se erigunt: posse autem verè credentes de sua pœnitentia & fide certos esse ex propriis conscientia & Spiritus συμπαρτυξάντες*
testi-

testimonio perspicuum est. Utique ergo fides & spes excludunt timorem illum servilem, qui oritur ex comminationibus legis, non tamen filialem, qui oritur ex fide. Tomo tertio LL. Loc. de justificatione per fidem §. 90.

§. 45. Infirmum quoque erat *argumentum VI. §. 21.* conceditur superbiam nec cum rectâ ratione, nec cum Theologia convenire, negatur verò quod superbiæ illicò arguendus sit, qui de suâ salute futurâ certus est, sanè cum fide salvificâ verè Christianorum, qui de salute suâ certi sunt, nullam connexionem habet superbia, sed potius vera humilitas, unde Apostolus Ephesios tanquam Christianos hortatur, *ut ambulent dignè vocatione, quâ vocati erant, cum omni submissione ac mansuetudine &c. Ephes. IV. v. 1. 2.* Et, si hæc consequentia valeret, omnes filii, qui certo sciunt se favore paterno frui, & omnes aulici, qui de Principis gratia certo persuasi sunt, essent fastuosi & superbi, quod quam absurdum sit, nemo est, qui non videat. *Latos, nitidè differit Bernhardus serm. 3. in Psal. XCI. vos esse volo, sed non securos, gaudentes in spiritu, sed tamen paventes adhuc & caventes à recidiva. Promissiones Dei liberant nos à dubitatione, comminationes & exhortationes Dei liberant nos à carnis securitate.*

§. 46. Nec prolixam responsionem *argum. VII. §. 23.* postulat. Sanè pii ac verè Christiani sunt amici, imò filii Dei, utiq; ergo certo credunt, se esse in gratia Dei, & ut timeant & seriò caveant, ne per securitatem carnis excidant eâ, hic tamen timor filialis stare potest cum filialis fiducia fideiq; certitudine. Fidelis, quando infra se respicit ad carnem suam & videt illam tentatione securitatis ac petulantia hoc agere, ut fidem excutiat & Spiritum, gratia conculcet, eam certè timore Dei refranat, compescit, imo crucifigit & mortificat carnem cum affectibus

bus

bus suis & concupiscentiis *Gal. V. v. 24.* cum timore ac tremore salutem operatur, *Phil. II. v. 12.* Hic verò timor Dei non labefactat, nec excutit fiduciam & *παρρησία* fidei: sed hoc ipsum agit, ne amittatur & excutiatur, sed ut firmiter inhæreat promissioni gratiæ: Quando autem fidelis, Spiritu seu novo homine supra se ad Christum & promissionem gratiæ respicit, ibi nec dubitat nec trepidat, sed gloriatur. *Rom. V. v. 2. certus sum enim &c.* *Rom. VIII. v. 38. Fidelis est Deus &c.* *1. Cor. I. v. 9. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet &c.* *Phil. I. v. 6. ceu B. Martinus Chemnitius loco de justificatione, dexterrimè docet idque deducit plenissimè.*

§. 47. Ad *arg. VIII. §. 23.* dicendum, quod omninò sufficiat: *Αὐτὸς ὁ θεὸς ἔφα.* Quoties enim verè Christianus ac pius certitudine fidei cognoscit se beatum fore, toties omninò omnem certitudinem agnoscit fundari in illo: *αὐτὸς ὁ θεὸς ἔφα.* Ex Scriptura enim sacra certitudo illa haberi potest, ut supra vidimus, & hic satis est: *Αὐτὸς ἔφα,* quicquid Scriptura sacra si non explicitè, saltim implicitè dixit, ipse Deus dixit. Caterum Gentiles Philosophi, quando nulli dubitarunt de futura salute ac felicitate animæ suæ, sibi ipsis imposuerunt, Homini namque ex mero naturæ lumine nulla certitudo salutis, imò nec ulla spes, pro statu naturæ corruptæ, postquam nempe per unum hominem peccatum in mundum venit, *Rom. V. vers. 12. Omnes concipimur nascimurq; in peccato. Psal. LI. v. 7. natura sumus filii iræ Epb. II. v. 3. & ut Seneca verbis utamur, omnes mali sumus. Nemo invenitur, qui se possit absolvere lib. de ira c. 14. Peccavimus omnes: Etiam si quis tam benè purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac tollere, ad innocentiam tamen peccando pervenit. De clementia I, 6.*

Notan-

Notanter dicitur: pro statu naturæ corruptæ non spem superesse, imò in communibus his miseriis nec ullam speculam. *Si enim homo peccati expers & viribus adhuc integris esset, lumen naturæ, & qui ejus ductu investigari potest, divinum cultum sufficere posse ad salutem, forsanhæud temerè quis asseruerit. Paucis interjectis: Secus autem res habet cum cultu divino in statu naturæ corruptæ. Nam ibi cultus Deo jam ab hominibus peccatoribus debiti pars prima ac potissima constituenda est in satisfactione pro peccatis valida & sufficiente. Nisi enim per præstitam satisfactionem placata fuerit ejus ira, nosque ipsi simus reconciliati, reliquus cultus, utut ex lumine naturæ cognitus præscriptusque, ei vel non deferri, vel non absque hypocrisi deferri poterit. Quæ autem satisfactio offenso peccatis iratoque Deo ad placandam ejus iram exhiberi possit aut debeat, humana ratio nullis, neque ex communi Dei providentia, neque aliunde desumptis, argumentis docere potest. Ita docet Magnif. & maximè Reverendus Dn. D. Musæus dissertatione Theologica de questione: An ductu luminis naturæ sive principiorum rationis homo ad salutem æternam pertinere possit? §. 29. & seqq. idque per totam dissertationem accuratè ac uberrimè probatum dedit, qui consulatur.*

§. 48. Ad IX. argument. §. 24. respond. etsi quandoque apud pios quoque dubitationes oriuntur, tamen superantur per fidem; etsi pii quandoque etiam in fide infirmi sunt, tamen Spiritus S. auxiliatur infirmitatibus illorum *Rom. VIII. v. 26.* neque per hujusmodi infirmitatem ipsa certitudo fidei expellitur, quod supra etiam monitum est.

§. 49. Ad *Becani* argumentum, quod ordine hucusque servato est X. §. 25. respondetur, negando antecedens,

F

dens,

dens, quod tale erat: homo in hac vitâ certus esse non potest certitudine fidei, sibi à Deo remissa esse peccata, ac se justum esse in conspectu Dei. Quod attinet probationem primam antecedentis, circa majorem, distinguendum est inter *revelationem formalem seu explicitam*, & inter *revelationem virtualem seu implicitam*. Utut verè Christiano ac pio homini per explicitam ac formalem revelationem de eo non constet, quòd sibi peccata sint remissa, cuilibet tamen verè credenti implicitè & virtualiter revelatum est peccata sibi esse remissa, quod in præcedentibus ostensum est. Hoc ipsum animadvertens *Becanus*, ut præoccupet animum cœlestis veritatis amantem, in hæc erumpit verba: *Volunt quidem adversarii revelationem contineri illis verbis Actor. XIII. v. 39. In hoc omnis, qui credit, justificatur. Et Rom. III. v. 22. Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Sed nihil, inquit, ad rem. Sed profectò maximè hoc ad rem facit. Unde docebit Becanus suum nihil ad rem? Eo quidem audaciæ abit, ut ad absurdum deducere nitatur veram ac apud Orthodoxos receptam sententiam: Nihil, inquit, ad rem. Nam hæc revelatio & promissio generalis est. Non enim dicit Scriptura: Lutherus justificatur aut justitia Dei super Lutherum, sed generatim, omnis qui credit, justificatur. Et justitia Dei super omnes, qui credunt. Verum in hoc tota sententiæ orthodoxæ veritas omninò fundatur. Revelatio namque & promissio generalis sufficit ad hoc, ut verè credens piusque Christianus certo credat sibi remissa esse peccata, quia per generalem revelationem & promissionem constat omni credenti remissa esse peccata. Roman. III. vers. 22. Δικαιοσύνη Θεῶν διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας καὶ διὰ πάντας τὰς πνεύμας: Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in*
omnes

omnes & super omnes credentes. Hæc à Spiritu Sancto expressè revelata propositio hunc habet sensum: Quicumque credit in Jesum Christum, is habet justitiam Dei & remissionem peccatorum per fidem. Nam in aliquem & super aliquem esse justitiam Dei per fidem, quid aliud est, quàm ipsum habere justitiam Dei & remissionem peccatorum per fidem in Jesum Christum. Annon verò quilibet verè credens sub hac divinitus revelata atque adeò satis certa propositione certo subsumere potest, semet credere in Jesum Christum, ut hæc propositio: Ego credo in Christum, fiat minor priori propositioni ut majori juncta, unde sponte sua sequitur certa hæc conclusio, certa quoad verè credentem, qui eandem format. E. habeo justitiam Dei & remissionem peccatorum per fidem. Idem profus judicium esto de altera propositione formaliter ac explicitè revelata Act. XIII. v. 39. Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus quibus non potuistis in lege Mosis justificari. Εν τῷ πᾶσι ὁ πιστεύων δικαιῶται. In hoc (Jesu) omnis credens justificatur. Jam quisque verè credens ita ratiocinatur: Quicumque credit in Jesum, justificatur habetque remissionem peccatorum. Ego credo in Jesum. E. Ego justificor habeoque remissionem peccatorum. Extant hinc inde tot clarissima testimonia alia in Sacro Codice, ut Marc. XVI. v. 16. & in plurimis locis. Ad hanc responsionem ita Becanus excipit: Hæc generalis promissio non potest applicari huic aut illi in particulari nisi hoc modo ratiocinando: Omnis qui habet veram fidem in Christum justificatur. Sed Lutherus habet veram fidem in Christum. E. Lutherus justificatur. Hæc tamen applicatio non est sufficiens. Nam licet syllogismus bonus sit & major propositio revelata, tamen

assumptio incerta & ambigua est, quia tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi obtectum est, ut seipsum sæpè fallat, ipseque homo putet se habere veram fidem, quam tamen non habet. At verò lubricus est & merè captiosus Becani sermo, sique mens ipsius sit, (hæc verò nullaque alia debebat esse) ipsi etiam Luthero subsumptionem ambiguum fuisse, falsum hoc est. Lutherus enim per actum reflexum intellectus certo scire potuit, num haberet veram fidem in Christum. Regerit Becanus: Unde & quomodo poterat Lutherus certus esse, se habere veram fidem? quid si seipsum fefellisset? Respondetur, unicuique credenti certò constat se credere: Spiritus enim testatur una cum Spiritu eius, quod sit filius Dei. Rom. VIII. v. 10. & sicut verè credens cognita habet requisita veræ & salvificæ fidei: ita cum ea in se deprehendit, falli non potest, sed certus potest esse, se veram habere fidem.

§. 50. Nihil hic amplius habet *Becanus*, quod regerat, nisi recurrere velit ad $\pi\epsilon\omega\tau\omega\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\theta$, nempe nihil esse credendum, nisi quod formaliter revelatum est, quod negamus. Sanè præmissæ sunt ratio cognoscendi conclusionem, unde si præmissæ sint revelatæ, non necessaria est nova revelatio conclusionis, sed ipsæ præmissæ sunt ratio assentiendi conclusioni, illæque efficiunt, ut fides feratur in conclusionem absque nova revelatione. Hæc cum vera sint, & ab omnibus, qui iudicio incorrupto sunt præditi, facile assensum impetrant, quis non videt, *Becanum* causa cecidisse: Quod ne imperitiores tam subito adverterent, provocat ad experientiam contrariam. *Experientia*, inquit, *testatur reprobos interdum simili ferè sensu atque electos affici, ut ne suo quidem iudicio quicquam ab electis differant: similem in-*
mo-

modum, si hæc *Becani* collectio procederet, colligeres: Nemo virorum verè doctorum, quamvis sit doctissimus, certus esse potest de ulla eruditione sua, quod scilicet sit verè doctus, cum homines planè rudes & crassa ignorantia laborantes interdum simili ferè sensu atque eruditissimi viri afficiantur, ut ne suo quidem iudicio quicquam ab eruditissimis viris differant: Ecquis enim ignorat homines inveniri nimia ruditate ac impotentia iudicii immane quantum laborantes, qui sæpenu-mero sibi falso persuadent, se esse verè doctos, imò verè doctis se præferunt ac præferendos audacter censent. Unde ergo sæpè fit, ut homines indocti sibi persuadeant se esse omnium doctissimos, imò hæc persuasio non est major nisi in indoctis: illi enim dum ignorant, quæ ad solidam spectent eruditionem, qualemcunque suam notitiam sæpe numero existimant veram esse eruditionem: Ita hypocrita sæpè sibi imaginantur, se veram habere fidem, & seipso fallunt: Illud enim inde provenit, quod veram vim fidei ignorent, & præ carnis securitate iræ divina sensum nunquam experti sint, unde etiam nec internum Spiritus S. testimonium habent, nec de vera fide rectè judicare possunt, ideòq; nec mirum est, cur in sua opinione fallantur. Existimant enim fidem consistere in hoc solo, quod credant illa, quæ in Scriptura sacra revelata sunt, quod ipsum etiam *Becanus* sibi persuasum habet aliisque persuasum vult. Et sanè si in hoc consisteret vera fides, utique quilibet etiam hypocrita posset certus esse, num assensum præbeat doctrinæ Christianæ, an minus? sicut quilibet potest esse certus, e. g. in naturalibus, an pro vero habeat, bis duo esse quatuor. Ast quia fides justificans in hoc generali assensu non consistit, sed in assensu speciali apprehendente Christi meritum & conjuncto cum fiducia, quod vel igno-

rant vel negant hypocrita, inde fit, ut sibi persuadeant se habere veram fidem & seipfos fallant. Ita Maximè Reverendus Dn. D. Johannes Musæus, Patronus & Præceptor summè venerandus, in Collegio LL. Theol. dexterrimè docet. Hypocrisis & perversitas aliorum verè piis & in Christum credentibus nequit esse fraudi. Qui aguntur Spiritu Dei, illi certè impulsus istum sentiunt. Qui verè in Christum credunt, illi se credere sciunt. Qui Spiritu S. obsignati sunt, illi certè summum hoc donum ac bonum agnoscunt. Hypocrita imitantur etiam externa opera piorum, absit tamen, ut propterea dicamus, verè pios & in Christum credentes nescire, num opera ipsorum sint hypocritica, an in Deo facta? Hæc B. Johannes Gerhardus LL. Theol. loc. de justificatione per fidem. §. 86. qui hanc nitidam *Πικρῶν* addit: Forte jubebit nos tandem Bellarminus (Becanus) dubitare, num simus homines, cum spectra interdum specie humana appareant. Add. B. Martinus Chemnitius in exam. Conc. Trident. parte 1. p. m. 307. Et B. Fridericus Balduinus comment. in Epistolas Pauli, Rom. VIII. p. m. 153. & seqq.

§. 51. Quid dicere voluisset Becanus, si de sequenti argumento candide judicare jussus fuisset? Quicumq; non potest certus esse peccata sibi in individuo esse remissa, is nequit certus esse, se esse Filium Dei. Atqui nemo in Christum verè credens potest certus esse, peccata sibi in individuo esse remissa. Ergo nemo in Christum verè credens potest certus esse, se esse Filium Dei. Aut enim hanc conclusionem admittit Becanus, aut non. Si admittit, admittit id, quod è diametro Scripturæ adversatur Rom. VIII. v. 16. Galat. IV. v. 6. 1. Johan. V. v. 10. Si non admittit, quia syllogismus in forma bonus est, aut major erit falsa, aut minor. Non major, quia ne-
mo

mo potest esse filius Dei, nisi peccata ipsi sint remissa. Hominem peccatorem factum esse filium Dei, necessario ac perpetuo præsупponit, isti homini remissa esse peccata. Ergo minor erit falsa, sed hæc erat *Becani* propositio: Nemo in Christum verè credens potest certus esse, sibi in individuo remissa esse peccata.

§. 52. Ad secundam probationem anteced. §. 26. à *Bec.* allatam respondere facillimum erit. Ita verò se ea habebat: *Actus fidei justificantis debet præcedere justificationem seu remissionem peccatorum. Sed ille actus, quo quis credit sibi remissa esse peccata & se justificatum esse, non præcedit justificationem & remissionem. E. non est actus fidei justificantis.* Hic merito incumberebat *Becano* candidè dicere: num actum fidei justificantis intelligat in sensu composito seu formali, ut sensus sit: actus fidei justificantis, quatenus est justificans, debet præcedere justificationem; an verò actum fidei justificantis capiat in sensu diviso seu materiali, ut sensus huc redeat: actus fidei, quæ justificat, debet præcedere justificationem. Posteriori sensu, si *Becanus* intellexisset majorem propositionem, aut eam, utpote indefinitè positam universaliter accipiendam voluisset, aut pro particulari. Si hoc, en vitium in forma, cum & pueri norint ex majore particulari in secunda figura nihil sequi. Si illud, major apertè falsa est. Nam actus credendi, quo justificatus credit sibi remissa esse peccata, est actus verè fidelium proprius: Quicumque verò actus est fidelium proprius, ille est actus fidei justificantis proprius, nec tamen hic actus præcedit justificationem. Priori sensu, si explicetur *Becani* propositio, h. m. *Actus fidei justificantis, quatenus est justificans, debet præcedere justificationem, totum conceditur argumentum. Nempe conceditur, quòd actus*

Actus, quo quis credit sibi jam remissa esse peccata, & se justificatum esse, non sit actus fidei justificantis, quatenus justificans est. Inde autem non sequitur, actum illum planè non esse fidei, quæ justificans dicitur. Ad meliorem rei intellectum facit, quod accuratiores *Theologi* fidem justificantem, quatenus est justificans, non constituent in eo, ut quis certò credat, peccata sibi esse remissa propter Christi meritum: Id enim demum credere quis potest post justificationem & jam impetratam remissionem peccatorum: Sed in hoc, ut quis certò credat sibi peccata remissum iri propter meritum Christi, se consecuturum esse peccatorum remissionem propter Christum, qui ut pro totius mundi, ita & pro his peccatis mortuus sit. Quod si verò forte sunt *Theologi* fidem justificantem describentes per hoc, quod quis credat sibi peccata esse remissa: hi describunt fidem justificantem à posteriori. Aliud enim est quempiam fidelem non esse, nisi credat sibi peccata esse remissa, aliud conceptum primum fidei in hoc actu consistere.

§. 53. Tertia antecedentis probatio à *Bec. §. 27.* adducta nullius roboris est. Negatur enim minor, quod actus, quò quis credit, sibi remissa esse peccata, tollat & impediatur orationem, sacramenta & alia pia opera &c. Quasi verò hæc duo non possent simul stare, fidelem certò credere peccata sibi remissa esse, & tamen adhuc utiliter orare: *Dimitte nobis debita nostra! Deus propitius esto mihi peccatori.* Annon etiam post impetratam remissionem peccatorum quotidie peccamus, & in multis labimur omnes? *Jacob. III. v. 2.* ita ut pro remissione peccatorum etiam *sancti* (qui peccatorum remissionem consecuti sunt,) Deum orare teneantur *Psal. XXXII. v. 6.* Credimus igitur peccata præterita nobis in justificatione re-

ne remissa esse, oramus autem, ut Deus quotidiana & presentia nobis remittat. Et sanè fatebatur *Becanus* supra, ut liquet ex §. 25. tempore Christi nonnullis revelatam fuisse peccatorum remissionem, ut Paralytico, Magdalena, Zacheo, Latroni in cruce: quæritur ergo, an hi etiam oraverint? Sanè hoc negari non poterit, & sic patet, quod non pugnent inter se aliquem certò credere sibi remissa esse peccata, & simul etiam orationi vacare. Idem, dicendum de Sacramentis aliisque piis operibus, quæ quomodo per hunc actum, quo quis certò credit sibi remissa esse peccata, tollantur aut impediuntur, non apparet. Quid enim? annon remissis peccatis potest quis uti Sacramento Cœnæ ad fidem confirmandam? annon fides per studium bonorum operum se exerere potest? Magnas certè nugas *Bec.* agit. Sponte igitur concidunt omnia, quæ magno apparatu, nullo tamen pondere Jesuita adducit.

§. 54. Infelix quoque clypeus fuit *Joh. Bapt. Gonet* loc. §. 29. citato: Quid namque facilius est quam hunc clypeum perforare, argumentum scil. quod nobis in ordine *XL* fuit §. 29. Quod enim ait *Gonet*, neminem in hac vitâ, seclusâ Dei revelatione, posse certum esse, an sit in numero prædestinatorum, ad id supra responsum, si enim intelligatur de formali revelatione, id falsum est: virtualis autem omninò hic locum habet, quo de supr. Quod attinet probationem *Eccles. IX. v. 1. Sunt justi atque sapientes &c.* Resp. Salomon i. significat tum justos & sapientem eorû opera esse in manu, i. e. potestate Dei, ut eis benefacere ac benedicere possit: cum addit Salomo: *etiam amorem, etiam odium*, i. e. tam amorem, quàm odium nescit homo, non attingemus jam sententiam Abenezræ, qui ad homines hæc refert, h. e. quæ homines amarunt

G

aut



aut oderunt, prospera scil. vel adversa sibi eventura, nemo est, qui sciat, quâ ratione locus incongruè hîc adducitur; sed referemus odium & amorem ad Deum, ut sensus sit, nec odium, nec amorem Dei quisquam in se vel in aliis scire, scil. ut versus secundus ostendit, ex eventis externis, ita enim v. 2. dicitur: *omnia sicut omnibus*, seu ut Mercerus habet, ut reliquis hominibus, *eventus unus iusto & improbo &c.* ita sensus erit talis: ex externis, quæ piis & impiis accidunt, neminem posse certum esse, se à Deo vel amari vel odio haberi, cum sapè bonis & malis bene sit, sapè etiam boni & mali calamitates patiantur. Sed quæ consequentia est, nemo ex eventis externis potest de amore & odio Dei certus esse, E. nec ex verbo Dei, seu revelatione Dei, quamvis virtuali.

§. 55. Ad rationem, quæ nobis est *argum. XII.* Respond. Major, nempe *nemo potest certò scire ea, quæ pendent ex sola voluntate Dei, nisi Deus ea revelet*, aut intelligitur de revelatione formali, aut virtuali: si de illa, falsissima est, ut ex superioribus patet; si de hac, conceditur totum, quod nemo de prædestinatione aut salute suâ citra virtualem revelationem certus esse queat, fides enim, de cuius certitudine hîc agitur, nititur revelatione divina virtuali. In *argum. Gonet. 3.* quod nobis est *XIII.* negamus, quod nemo sine speciali Dei revelatione infalibilem de suâ perseverantiâ certitudinem habere possit: quid enim? annon is, qui peccatorum suorum remissionem à Deo est consecutus, qui pacem habet cum Deo per fidem, sibi firmiter proposuit, quod Spiritui S. non velit contumaciter resistere, sed constanter mediis ad fidei conservationem à Deo ordinatis uti, quique seriis Deum pro perseverantiâ precibus invocat, annon is certus erit de perseverantiâ? ane dicemus Spirit. S. non

non operaturum in eò, nec confirmaturum fidem, qui mediis à Deo ordinatis vult cōstanter uti, aut Deum preces pro perseverantia non exauditurum esse. In *ultimo argumento Gonetii*, quod nobis est *XIV.* rursus lusus est in vocab. *revelatio divina*, ubi sicut *Gonet* intelligit procul dubio revelationem formalem; ita dicimus, quod aliquid certò etiam possit cognosci ex revelatione virtuali, quod ex præced. satis clarum esse putamus.

§. 56. Nunc, quid roboris insit *Bellarmini* argumentis, eà, quâ fieri potest, brevitate dispiciemus. Primum, quod nobis est *XV.* desumitur ex *Rom. XI. v. 33.* ubi dicit *Bellarmin.* prædestinationem referri inter altissima Dei secreta, cum Apostolus ait: O altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus. Resp. i. in præced. Apostolus imprimis disseruit non de prædestinatione, sed de rejectione Judæorum temporali, & adoptione gentilium, neque dicit Apostolus, prædestinationem pertinere ad inscrutabilia Dei judicia: Atque hoc ipso respectu potuit Apostolus dicere, inscrutabilia esse Dei judicia, quod Judæorum ruinâ ad salutem gentium usus sit, & ex salute gentium conversionem Judæorum sit procuraturus. Sed si vel maximè etiam hoc concedatur, prædestinationem referri inter inscrutabilia Dei judicia, hoc sanè certitudini fidei de prædestinatione & salute æterna non adversatur: ad inscrutabilia enim meritò refertur, quod Deus perditio hominum generi Mediatorem, Filium ordinavit, qui in assumpta humanitate homines Deo reconciliaret, & satisfactionem pro illis præstaret, ad inscrutabilia referendum, quod Deus, quæ infinita ejus est misericordia, satisfactionem alienam tanquam hominum propriam acceptare decrevit: ad inscrutabilia spectat, quod

Deus ab æterno decrevit salvare omnes, quos prævidit finaliter Christi satisfactionem amplexuros esse, quis enim unquam de admirando hoc salvationis modo cogitasset? verum cum in tempore Deus revelaverit, quomodo facta sit electio ad vitam æternam, nempe in Christo Jesu, quomodo homo salutem consecuturus se gerere non solum debeat, sed etiam per gratiam Spir. S. possit, cur non, omni, quò potest fieri studio, illis observatis, de prædestinatione & salute sua certus esse poterit?

§. 57. Secundum *Bellarminum*. arg. nobis XVI. inde est desumptum, quod Scriptura hortatur fideles ad timorem, loca vid. supr. Resp. Tantum abest, ut timor in allegatis locis commendatus tollat certitudinem fidei, ut potius in eâ includatur: non enim est servilis metus, quò homo Deum horret & averfatur, sed filialis reverentia, cum quis scilicet fiduciam suam in Deo habet positam, & tamen seriò sibi cavet, ne Deum offendat, cum non nesciat fidelis per peccata contra conscientiam favorem Dei amitti posse: hic timor passim in Scriptura timor Domini vocatur, & non opponitur certitudini fidei, sed potius securitati: nec etiam hic timor cum dubitatione est conjunctus, sed potius cum certa fiducia: sicut enim certum reddit hominem, favorem Dei securitate amitti, ita eundem certum quoque reddit, timentes favorem Dei retinere.

§. 58. Ad tertium *Bellarminum*. nobis XVII. arg. Resp. Neg. quod Scriptura doceat salutem pendere à conditione operum: etsi enim in homine fideli, qui per fidem in Christum salvandus est, requiruntur bona opera, tamè salus à conditione operum non pendet, neque opera ad salutem, ut conditio, necessaria dicuntur. Locus *Matth.*

V.v.

V. v. 20. hoc saltem probat, quod melior vel abundantior debeat esse Christianorum justitia Pharisaorum justitiâ, quod explicari solet de justitia fidei: Sed si vel maximè de justitia legali id intelligatur, nihil tamen obtinet *Bellarminus*, quia sicut Pharisæi justitiam in actuum externorum conformitate cum Lege ponebant: ita dici posset, Christum abundantiosem requirere justitiam, nempe interiorum quoque actuum cum Lege Dei conformitatem: sed inde non sequitur, salutem pendere à conditione operum. Ad loc. *Matth. XIX. v. 17.* Resp. Christum respondere secundum mentem interrogantis, is sicut per opera volebat ingredi vitam æternam: ita Salvator inquit, quod si per opera salvari velit, servare debeat mandata, quod autem ab operum conditione pendere salutem, docuerit Salvator, inde non probatur: reliqua loca si quicquam, hoc evincunt, ex parte subjecti, nempe hominis fidelis & salvandi requiri opera, unde nihil quod nobis adversetur, deduci potest.

§. 59. Ad quartum *Bellarm.* nobis XVIII. argum. in quo dicitur, multos ad tempus tantum credere, postea circa fidem naufragare & perire, resp. neque hæc nobis adversari: Largimur enim, quod qui verbum audiunt, sed tamen permittunt, ut diabolus illud de corde rursus tollat, aut qui tempore tentationis recedunt, aut ubi sollicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ verbum suffocatur, ut in loco à *Bellarmino* allegato *Luc. VIII.* Salvator *ὁὐκ εὐκρίβδου* credentes describit, de his inquam largimur, quod de salute certi esse non possint, quia scilicet mediis ad salutem à Deo ordinatis non rectè utuntur, sed hoc, ut nemo non videt, ad præsens nihil facit.

SECTIO V.
Usum practicum ad-
jungens.

§. 60. *Ufus didascalicus.* §. 61. *Flenchticus.* §. 62. *Pædevti-
cus.* §. 63. *Epanorthoticus.* §. 64. *Paracleticus ostenditur.*

§. 60. Restat nunc, ut brevissimis usus practi-
cos delineemus, quorum

I. *Ufus didascalicus.*

Teneat navicula fidei nostræ medium inter perpetuæ
dubitationis scyllam & absolutæ securitatis charybdim:
Infallibiles Dei promissiones liberant nos à dubitatio-
ne; comminationes & exhortationes à carnali securita-
te. Novimus nos fore salvos, idque novimus non per
moralem saltim certitudinem, nec per meras conjectu-
ras, sed ex ipsius Spiritus Sancti testimonio. *Si testimo-
nium hominum accipimus, testimonium Dei majus est 1. Jo-
han. V. v. 9. In certitudinem salutis nostræ dedit Deus
Pater Filium suum, Job. III. v. 16. Filius Dei dedit seipsum
in pretium redemptionis pro nobis. 1. Tim. II. v. 6. Unde si
tot tantisque peccatis obnoxii quum essemus, ab omni-
bus tamen per Christum liberati fuimus: quanto ma-
gis illius operâ fiet, ut in quo sumus statu persevere-
mus. Spiritus Sanctus $\sigma\upsilon\mu\mu\alpha\gamma\tau\omega\pi\epsilon\acute{\iota}$ testimonium reddit
Spiritui nostro quod simus Filii Dei. Quod si filii, igitur &
heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.
Rom. VIII. v. 16. 17. Inhæreamus ergo firmiter promissio-
nibus Dei. Quotquot enim sunt promissiones Dei, per
Jesum Christum sunt ITA & per ipsum AMEN, Deo ad glo-
riam per nos. Qui confirmat nos in Christum, Deus est:*

qui

qui etiam obsignavit nos, deditque arrham Spiritus in cordibus nostris, 2. Cor. I. v. 20. 21. 22. Est sigilli & obsignationis usus, non ut incertum & dubium faciat hominem, sed ut confirmet fidem & certitudinem eorum, quibus adhibetur. Deus promisit, Deus juravit nos fore salvos, ut per duas hasce res immutabiles, in quibus fieri non posset, ut falleret Deus, validam consolationem haberemus, qui huc confugimus, ut potiamur proposita fide. Hanc velut ancoram tenemus animæ, & tutam, & firmam, & introeuntem usq; ad ea, quæ sunt intra velum, quo præcursor pro nobis ingressus est Jesus juxta ordinem Melchisedec, Pontifex factus in æternum. Ebr. VI. v. 17. & seqq. Quemadmodum electio ipsa & justificatio fide est limitata, sic qui finaliter crediderimus, salvi erimus, & ordinem divinitus institutum, qui benè observamus, nosmet ad salutem æternam esse præordinatos firmiter concludimus, inque Dei promissione veluti petra solida & inconcussa fundamus hanc fidei nostræ ancoram. Ancora quando in terram sabulosam mittitur, non potest navem firmiter tenere: at quando in fundum firmum & tenacem incidit, nequit convelli: Ancora fidei nostræ jacta esto in ipsum cœlum, & quidem ubi Christus pro nobis Sacerdos est juxta ordinem Melchisedec, hic apprehendit, fulcit, firmissimè tenet ancoram illam, sicut inquit Job. X. v. 28. de manu mea nemo rapiet eos. Huc facit: Philip. III. v. 12. Apprehendi, quatenus & apprehensus à Christo Jesu. Duo sunt ancoræ dentes tenaces & ferrei ingenti mole, quibus sistitur navis ac retinetur, ut nautæ gubernatoresque vim tempestatis pati possint: En tenacissimos fortissimosque sacræ nostræ ancoræ dentes, duas res immutabiles, in quibus fieri non potest, ut fallamur. Funi ductario ancora alligatur, eoque demittitur:

titur : Sacram nostram ancoram pendentem videmus de fune divini amoris, quo elogio Spiritus S. verbum suum ornat *Hof. XI. v. 4.* Sicut igitur verum est Deum necessariò esse Deum, veritatemque veritatem, ita certus quisque verè credens fidelisque Christianus est se salvum fore.

II. Usus Elenchticus.

§. 61. Apage ancoras funesque, in quibus Pontificii naves suæ fidei tenent, non enim subsistunt, quippe *Papa* cum assentatoribus suis jubet dubitare de gratia Dei, de justificatione coram Deo, æterna salute. Respicere præcipiunt *Pontificii* non Deum promittentem, non Christum Pontificem, sed nostra opera & merita, nec mirari subeat, cur hisce talibus, quia sabulum & saburra sunt, ancoram è resticulis humanarum traditionum pendentem figere frustra & ad diaboli placitum jubeant, tota namque *Scriptura S.* hanc impiam sententiam damnat, ut non immeritò *Megalander Lutherus in cap. XLI. Genes.* hoc de his restionibus judicium tulerit: *Etiam si nihil præterea fuisset in doctrina Pontificia, quam quod docuerunt nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus.* Apostolus *Paulus* hoc causæ reddit, cur ex operibus nulla justitia, nulla salus, quia alias incerta, infirma, lubrica forent omnia, quibus ancoram fidei vellemus infigere. Sic enim habet *Rom. IV. v. 16.* *Ideirco ex fide quæ sita hæreditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio universo semini.* Et præced. v. 13, & 14. *Non enim per legem promissio facta Abraham aut semini ejus, sed per justitiam fidei. Etenim si qui ex lege, barea*

heredes sunt, inanis facta est fides, & irrita reddita promissio. Nunc nutat ancora Pontificiorum, nunc frangitur, nunquam tuta, nusquam firma, semper enim ambiget conscientia operibus nixa, an habeat propitium Deum? Semper dubitabit, utrum opera, quæ effecerat, sufficiant? Proinde non habebit ejusmodi conscientia firmam consolationem adversus desperationem: At litoribus nostris ancora pacta sua est, ancora evangelii fundat navim nostram, vi cujus intuemur non benefacta & perfectionem nostram, sed Deum promissorem, Christum mediatorem, Spiritum S. testificatorem, inde nobis certitudo & gaudium Spiritus, quia in Deo haeremus, qui mentiri non potest. Dicit enim: Ecce trado Filium meum in mortem, ut te sanguine suo redimat à peccatis & morte; ibi non possumus dubitare, nisi prorsus velimus Deum negare. *Atque hæc, præclarè B. Lutherus in cap. IV. ad Galat. disserit, est ratio, cur nostra Theologia certa sit, quia rapit nos è conspectu nostro, & ponit nos extra nos, ut non nitamur viribus, conscientia, sensu, persona, operibus nostris, sed eo nitamur, quod extra nos est, hoc est, promissione & veritate Dei, quæ fallere non potest.* Frustra interim Calviniani in suis ancoris expectant certitudinem futuræ æternæ salutis. Nam utut sese duabus ancoris, nempe absoluto decreto & fide, ideò quod semel adfuerit, inamissibili nixos sicque duplici præsidio munitos credant, utriusque tamen ancoræ jactus cum manifesto salutis æternæ detrimento fingitur. Nulla profecto ancora sistit in absoluto & arcano, quod contra Scripturam sacram asserunt decreto. Dum enim Deum quosdam tantum elegisse ajunt, unde quis apud ipsos se ex illorum electorum esse numero certo sciet? deduces eum ad Dei Patris misericordiam, metuendum est

H

ipsi,

ipsi, ne sit voluntas tantum signi. Ad Christi confugiet meritum? tantum pro paucissimis eum mortuum esse audit. Ad promissiones Dei universales ablegabitur? ad genera singulorum, non singula generum eas pertinere à suis Doctoribus instructus intelligit. Internum denique Spiritus S. testimonium hic exaggerabis cum aliis? neque id certum esse posse homini Calviniano, propter ea, quæ Calviniani tradunt, credideris, quæ omnia huc redeunt, denique etiam ipsos reprobos simili sensu divinæ gratiæ interdum affici ut electos, & tot mendacii latebris scatere cor humanum, ut seipsum sæpè fallat. Quàm arenosum sit Calvinianorum dogma de fide inamissibili, à Nostratibus ostensum, pulvinus est damnosissimæ securitatis.

III. Usus pædevoticus.

§. 62. Hoc opus, hæc cura, hic labor noster esto, quâ ratione teneamus navim animæ nostræ in fiduciæ speique ancoris, nec patiamur funem verbi divini nobis eripi aut præcidi. Expellamus servilem timorem, incertitudinem & dubitationem, id quod fiet ardenti ac devota verbi divini meditatione, vi cujus fiduciam & certitudinem in cordibus generat nostris Spiritus ille Sanctus, efficitque in nobis, ut per illum clamemus: *Abba Pater*, hoc est, clarâ voce testemur, nos agnoscere Deum Patrem nostrum esse suavissimum plenaque fiducia eum invocemus. Cor nostrum proponat Deo verbum suum, petamus à Patre cœlesti in nomine Jesu remissionem peccatorum, certi simus eum illam nobis esse daturum. Ubi verò remissio peccatorum, ibi vita & salus. Non hæsitemus, non fluctuemus dubitationibus, sed in vera pœnitentia & fide petamus, *hæc namque est*
fidu-

fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ipsius, audit nos. 1. Job. V. v. 14. Scimus, quod audit nos quicquid petierimus, scimus, quod habemus petitiones, quas postulavimus ab eo. v. 15. In petitione corporalium divinæ voluntati nos semper subicientes ac nosmet semper exaudiri credentes, si non ad voluntatem, tamen ad salutem. Si de paterna Dei voluntate adhuc dubitaremus, quomodo in Spiritu & ex fide vel initium vel finem Dominicæ orationis pronunciare poterimus? quo modo Deum appellabimus Patrem, qui dubitamus, an simus apud Deum in gratia? quomodo adjiciemus Amen, qui adhuc dubitamus, an simus exauditi, cum vox illa non solum sit optantis, sed etiam confirmantis. Teneamus firmâ memoriâ baptismum nostrum, ubi ex aquâ & Spiritu regenerati accepimus arrham hæreditatis nostræ Spiritum S. & pactum cum Deo inivimus ex parte Dei immutabile. Accedamus frequentes ad sacram Domini cœnam, ubi corpore & sanguine suo promissionem gratiæ singulis in specie obsignat. His mediis dum ritè utimur, dubitare non possumus, neque de salute, neque de electione nostra, etiam tum cum Spiritus S. motus in nobis valdè languidi apparent. Deus enim infirmitati nostræ virtute sua succurret, ut fides etiam minima magnos tentationum atque dubitationum montes transferat. Certum est Deum promissioni gratiæ suæ institutione addidisse signa illa, quæ sacramenta vocantur, non ut per illa fiducia fidei labefactetur, incerta & dubia reddatur, sed ut fidei infirmitas præter verbum efficaciam quoque sacramentorum sublevetur, sicut rectè dicitur, Sacramenta instituta esse ad confirmationem fidei. Ita 1. Pet. III. v. 21. Baptismus vocatur stipulatio bonæ conscientiæ. Si ita-

que dubitatio esset virtus fidei, frustra instituta essent
Sacramenta, & usurparentur contra virtutem fidei: Hæc
ita sunt manifesta, ut non opus sit pluribus verbis apud
illos, qui in primis principiis doctrinæ Christianæ rectè
instituti sunt. Præstemus quoque sedulo, nec interrump-
tâ operâ, opera vocationis nostræ, ob admissa peccata
seriò doleamus, ferveat in nobis studium pietatis desi-
deriumque iuvandi proximum, & in id opera nostra
convertatur, ut sanctam & puram servemus animam:
Nam in animam malignam non ingreditur Spiritus S.
Sap. I. v. 4. Imprimis nobis ob oculos perpetuo ponamus
exempla sanctorum, qualia sunt Abrahami *Genes. XXII.*
qui *Rom. IV. v. 16.* ad imitationem nobis proponitur,
Jacobi *Genes. XXXVII.* Jobi *c. VII.* Pauli, qui sibi mi-
sericordiam contigisse scribit ad exemplum credituro-
rum *1. Tim. I. v. 16.* Simus imitatores eorum, qui fide &
patientiam hæredes extiterunt promissionis *Ebr. VI. v. 12.*
Hos enim Deus variis tentationibus exercuit, ipsosque,
cum feliciter eluctati sint, in exemplum fidelium propo-
suit. Non ergo indulgendum dubitationibus, sed quo-
ties oriuntur, luctandum cum iis, ut semper ita enita-
mur ad certitudinem, ne patiamur nobis excuti fiduci-
am. Maximè omnium nobis commendatum esto per-
severantiæ studium: Omnes virtutes currunt ad brabè-
um, sola perseverantia coronatur, & gloria filiæ Regis
est in fimbriis aureis, quia nihil profunt initia bonæ vi-
tæ, nisi sit gloriosus & finis. Cogitemus, quod in fim-
bria vestimenti summi Sacerdotis Deus iussit apponi ma-
la granata, quibus coronam natura indidit, & inde disca-
mus, coronam soli perseverantiæ dari: confidamus er-
go Deo propter egregias & infallibiles promissiones.
Picemus navem animæ nostræ & certitudine fidei &
Chri-

Christiano dignissimarum virtutum exercitio.
Serviamus tempori pandamusque vela, dum pulcherrima flat occasio. Quot sunt illorum, qui ancoræ jactum indies distulerunt, donec eum prævertisset mors subita & ex omni parte misera. Imprimis oratio nostra fiat in Spiritu & veritate, frigida oratio nil efficiet, devota & ardens oratio cor Patris cœlestis pulsare, imò aperire valet.

IV. Usus Epanorthoticus.

§. 63. Impœnitentibus non proponimus consolationes, imò nec dubitativè illis concionamur: sed sicut *Paulus* loquitur *Eph. V. v. 5. Gal. V. v. 21. 1. Cor. VI. v. 9. 10. Coloss. III. v. 5. 6.* illis, qui peccata ita agnoscunt, ut iram Dei sentiant & fide confugiant ad thronum gratiæ, cum proposito in posterum non secundum carnem vivendi, his proponimus cum scriptura non dubitationem, sed fidei certitudinem. Fugiamus ergò carnis illecebras, non patiamur regnare cupiditates in cordibus nostris, sed subito supprimamus eas. Facilius est exiguam aquam quam vastum flumen trajicere. Quamdiu navis *Jonam* tenebat, maris nulla quies, perpetui fremitus. Eheu quam adversa cordis tempestas erit, si peccatis indulgeas. *Jona* ejecto mare confedit: expulsis peccatis navis cordis tui quiescet. Quis ob metum naufragii adeò imprudens est, ut malit perire, quàm viles merces perdere: Fugiamus voluptates carnis, ne jacturam faciamus æternæ salutis. In hac quidem carnis imbecillitate non omnes inordinatos motus prævertere novimus, avertere tamen possumus occasionem, ne prorumpant & in scelera abeant. Necessè est, ut lancem in libra ponderibus impositis, sic fidei navem peccatis deprimi:

ad Deum tendit lanx cordis peccatis vacua. Cum nuncius ab impio Rege missus nondum ad Elisam pervenisset, ipse senioribus assidens dixerat: *Pervidetisne ut mittatur filius tam atrocis cadis, qui perdat me? occludite ei fores & comprimite eum in ipsis foribus 2. Reg. VI. v. 32. seq.* Peccata sunt nuncii à rege tenebrarum Diabolo missi, sunt Satanæ filii, occludamus iis fores cordis, comprimamus in ipsis foribus. Majus sæpè periculum à rimulis quam à rimis navi imminet. Vix enim advertit incautus nauclerus rimulas, donec plena navis rimarum sit hacq; & illac profluat: vitentur ergo omnes occasiones peccandi, ne rimulis, hoc est, peccatillis, si tamen ita vocare licet, locus sit. Nequit Isaac navi cœlestis hæreditatis vehi, nisi Ismael cum matre ejiciatur: Satanæ cum peccato exesto è navi animæ nostræ, ut plenis certissimæ bonitatis divinæ velis detur currere. Quæ charybdis tam vorax tot res tam cito absorbere potuisset, quot animarum navigia vorticibus dilationis ac securitatis fuerunt depressa atque suppressa? Quam multi fuerunt, qui securi de hæreditate cœlesti, id effecerunt, ut infernalis piratæ fraudibus in æternæ damnationis gurgites truderentur? Annon nauclerus somno sepultus extremæ dementiæ esset, qui tempore imminentis naufragii pateretur quidem se expergefieri, nollet tamen surgere navimque curare? quid verò aliud agunt nimium securi ac è peccatorum somno excitati, denuo obdormiscentes peccatores? Non igitur timidi simus, nec vero tumidi. Confidamus, non dubitemus: Timeamus, non superbiamus. Filialis timor esto quasi quidam custos, cui inæstimabiles gazas omnesq; salutis nostræ divitias sciamus concreditas. Gemma pretiosissima pietas, sed facile ab impietate subripitur, nisi timore fi-

re filiali custodiatur. Habeamus bonas & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pædagogi, scilicet timoris filialis. Exemplo esto Paulus Apostolus: Ille quidem persuasum habebat sciebatque, quod neque mors, neque vita, nec præsentia, nec futura, nil sublime, nil profundum posset ipsum ab illa caritate Dei, quæ est in Christo Jesu, separare: Idem tamen de salute sua certus currebat & pugnabat strenuè, confunde-
debat & in servitutem redigebat suum corpus, ne dum aliis prædicaret, ipse reprobus fieret.

V. Usus Paracleticus.

§. 64. Dum hujus quæstionis solutione nixi in gratiâ punctum illud certitudinis attingimus, in æternum etiam in gloria idem beati continuamus sine ulla mutabilitate, quæ post illud ultimum *viv* nullum porro locum habet, atque ita qui in hoc puncto verè credentes à Domino dimittimur, in pace & felici securitate sine ullo metu aut dubitatione discedimus, & ad pacem æternam pervenimus, ut ab omnibus turbationibus, mutationibus & vicissitudinibus liberi & immunes perpetuo simus in summa felicissimæque quiete. Vitâ igitur hujus vitæ totiusque mundi transeunte jam & terrenis coelestia & magna parvis & æterna caducis certo succedent. Quis ergo anxietati & sollicitudini locus esset, quis trepidus & mœstus esset, nisi cui spes & fides, qua sperat & certo credit se fore salvum, deest? Ejus est morrem & pericula timere, qui ad Christum nolit ire: Ejus est ad Christum transire nolle, qui dubitat de futura æterna salute sua. Si justus sumus, etiam fide vivimus: Si verè in Christum credimus, cur non pollicitationem Domini securi amplectimur? Erigat ergo se humana
no-

nostra fragilitas, non desperet, non se collidat, non se
avertat, promisit nobis, quod ibi futuri simus, ubi ipse
est. Erimus cum illo. Quid tibi promisit Deus, ô ho-
mo mortalis, quia victurus es in æternum. Non credis?
crede, plus est jam quod fecit, quàm quod promisit.
Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? ut vi-
vas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æter-
nus, quam ut æternum vivat mortalis, jam quod incre-
dibilius est, certò tenemus. Murmuret jam, quantum
voluerit, insipiens cogitatio nostra, dicens, qui vos estis,
& quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtine-
re speratis? & nos ex intimis fiducia visceribus respon-
demus: Scimus, cui credidimus & certi sumus, quia in ca-
ritate nimia adoptavit nos, quia veracissimus est in pro-
missione, quia potentissimus in exhibitione. Hæc ro-
borant & confirmant cor nostrum, ut nulla nos penuria
meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla
æstimatio cœlestis beatitudinis ab altitudine spei deji-
cere possit in ea firmiter radicos: Nil ergò æstimamus
calamitates hujus vitæ. Quin imò certò novimus pios
quandoque majoribus calamitatibus subjectos esse,
quam impios. Quo majorem in molem aquæ creve-
rant, eo propior cœlo propiorque arca Noæ, aquis cir-
cumfusa, non suffusa, venerat. Quid interim est, quod
de diffidentia nobis loquatur aliquis? Quis nos separa-
bit à caritate & fiducia Dei nostri, qui sua potentia o-
mnia continet, suo imperio omnia regit, sua sapientia
omnia moderatur, sua mente omnia complectitur, suo
arbitrio omnia flectit quo libet, & quo libet constringit,
cujus tanta fuit erga nos caritas, ut unicum, quem uni-
ce diligebat Filium, ad horribilem tradiderit crucem,
quo essemus illius sanguine aspersi atque redempti, nem-
pe ut

pe ut ipse nobis sit Pater & Christus frater. Quæ autem major aut dilectio aut sollicitudo, quam Patris erga Filium, præsertim ejus Patris, qui tanto est aliis clementior, quanto sublimior? quam ob rem neque ejus seculi blanditiæ, neque hujus carnis illecebræ, neque illa Satanae fulmina, neque hæreticorum fraudes, neque amicorum delitiæ, neque necessariorum preces, neque populorum furor, nec tyrannorum crudelitas seu minis perterrere, seu fortunis privare, seu in exilium ablegare, seu perdere voluerint, à Domino omnipotente, à Patre indulgentissimo, ullo unquam timore me divellent. Si cœlum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur præceps, ancoram meam in eum jacio: si angelus de cœlo hanc certitudinem mihi eripere contendat, dico ei anathema. Nil aliud Spiritus S. testatur in nostris cordibus quàm quod testatur in sacris literis. Atqui in his testatur, quod seria sit voluntas Dei, ut omnes homines salvi fiant, quod Christus dederit semet ipsum pretium redemptionis pro omnibus. O felicem Christiani pectoris fiduciam! O beatam evangelici pectoris pietatem! O securam Christianæ mentis fiduciam! quæ vota, quæ consilia, quæ studia, conatus, officia, diligentiam, industriam, fortunas, omni loco, omni tempore, omnibus in rebus uni Deo committit, qui neminem in se confidentem vanum facit. *Fidelis Deus, per quem vocati sumus in fide, qui & confirmabit nos usq; in finem 1. Cor. I. v. 8. 9. Fidelis Deus, qui non patietur nos tentari supra quod possumus c. X. v. 3.* per veram fidem Christo adhærebimus, nos non patietur bonus ille pastor ex manibus suis eripi. Potens est Deus depositum nostrum nobis servare. De spe quidem humana verum est illud: *Fallitur augurio spes bona sæpè*
I *suo:*

suo: sed de spe ex fide justificante orta & testimonio Spiritus S. interno confirmata *Apostolus* dicit *Rom. V. v. 5.* SPES NON CONFUNDIT. Prudens nauclerus avidè expectat tempus, quo navem in ancoris detentam ad optatum portum appellat: Quid verò gratius nobis accidere potest, quam si detur navem fidei nostræ agere, eâque salvâ per tot tentationum pericula mortisque fluctus in portum pervenire, ut apparet exemplis Jacobi Patriarchæ: *Domine expecto salutare tuum Genes. XLIX. v. 18.* Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace Luc. II. v. 29.* Pauli Apostoli: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 2. Tim. IV. v. 7.* Quis ergò nostrum timeret mori, qui tam bonum habemus Dominum? Expectamus igitur avidè beatam analysin, & tamdiu inter scyllam & charybdim hujus mundi navem promovemus nostram, & nunquam ex oculis dimittimus solem justitiæ Christum Jesum in cœlis, quo præcursor pro nobis factus est, stantem nosque vocantem, donec omnibus scrupulorum miseriæ hujus mundi scopulis feliciter declinatis in serenissimo divinæ clementiæ portu optatissima animi requie æternaque beatitudine, quam nunc certa fide apprehendimus, reipsa perfruamur. Faxit DEUS!

O faxit, cui sit laus & gloria in sempiterna secula!



Est

Est opus egregium cultæ pieta-
tis & artis,

Quando probas quod sit,

CERTA futura SALUS.

CERTA SALUS VITÆ nobis creden-
da, sed inde

Pro nifu tanto, LAUS Tibi cer-
ta MANET.

In honorem CL. DN. MAG. RESP.

scrib.

PRÆSES.

Nullâ segnitie pateris torpe-
scere vitam,

TRANDORFFI, haud molles
inglorius exigis annos.

Aris atque focis, velut auguror,
optima morum

Effigies & doctrinæ Te consecrat
ipsa,

I 2

Nam-

Namque negas homines INCERTOS
ESSE SALUTIS,
Vir veræ pietatis amans fideique
ferenæ.

Gratulab. deproperab.

Johannes Frischmuth/
Lingg. Sacr. P. P.

MEntiri nescit, vivaxque ab origine san-
guis
pullulat, atque sui nunquam manet im-
memor ortus.

Scilicet ingenium & mores plerumque pater-
nos

continuanda domoque hæredi semina pru-
dens

immulgere solet primos natura per haustus.

TE loquor, O VENERANDE SENEX: En
aspice felix

Germen, cerne Tuum Tua per vestigia euntem
conspicuum Natum, non est mortale quod
optat.

Jam dudum Phœbus mitrâ tituloque Magistri
condecoravit eum, largitus dona laborum

in.

insigni ex merito, Sophico plaudente Senatu.
Publica nunc iterum sacri documenta laboris
egregio sistit plausu, nam vivida virtus
laudibus erigitur meritis, & in æthera scandens
progreditur, rapidis quam gloria provehit au-
stris.

FORTUNATE PATER! gaude! Pater opti-
me, gaude!

Ecce serenati TIBI ridet gratia cœli,
obscuraque vacant clarissima sidera nocte,
Musarum Tecum complet chorus aëra plausu.
Ipse ego splendentem famam nomenque GER-
HARDI

qui semper veneror, merito TIBI, Vir reverende,
gratulor, hæcque pii jungo signacula voti:

EN! VIGET IN VOBIS PIETAS SAN-
GVISQVE GERHARDI,
FLOREAT INSIGNIS GENUS HOC NO-
MENQVE PARENTIS.

*Summi Theologi, Joh. Gerhardi vñv cu aγiois, Viri
de universa Christi Ecclesia & tota hac Aca-
demia summe meriti, ex Filia natu maxima
Nepoti, Optimiq, Parentis Optimo Filio, Cla-
rissimo DN. Autori Respondenti, Commensa-
li ac Inquilino honoratissimo, Amico exopta-
tissimo, e sincero corde Imq, gratulatur*

Valentinus Belthem / Moral. P. P.
Mor-

Mortale pectus lege pallidæ necis
Maternæ terræ demigrans ad viscera
Quam certa speret æviternæ præmia
Salutis, id effare. Cedat in Tuæ
Salutis utriusque certitudinem.


Quod animitus vover,
Clarissimoque Domino Magistro
Auctori Respondenti


Opt. Patris filio amulo,
de novo hoc eruditionis specimine
gratulatur

Caspar Sagittarius
Hist. P. P.









B.I.G.

Farbkarte #13

QVOD DEUS BENE VERTAT!
DISSERTATIO THEOLOGICA

De

QUÆSTIONE,
Numcitra specialem

DEI revelationem Christianus ex
Verbo DEI possit de æterna suâ sa-
lute certus esse?

Quam

in Incluta ACADEMIA JENENSI

P R Æ S I D E

FRIDEM. BECHMANNO,

SS. Theol. D. & P. P.

*DN. Patrono atque Præceptore suo summa obser-
vantia colendo,*

Publico Eruditorum Examini sistet

M. GERHARDUS Zrandorff/Cala-Thur.

AUTOR RESPONDENS

in Acroaterio Theologorum

ad d. Septemb.

ANNO CHRISTI M. DC. LXXVII.

T 155

JENÆ, Literis JOHANNIS WERTHERI.